

OBSERVATIONES ELENCTICAE

IN

CONTROVERSIA  
WOLFFIANA,

DISPUTATORI CUIDAM  
HALENSI,

AD

VINDICANDAS SUAS DE  
HARMONIA INTER ANIMAM ET  
CORPUS PRAESTABILITA HA-  
BITAS DISSERTATIONES,

OPPOSITAE

A

SAMUELE CHRISTIANO  
HOLLMANNO,

IN ACADEMIA VITEMBERG. PHILOS. PROFESSORE  
ET ORDIN. PHILOS. ASSESSORE.

a. LV. 22.

Coll. diss. A  
54, 22





OBSERVATIONES ELENCTICAE  
DISPUTATORI CUIDAM HALENSI OPPOSITAE.  
SYNOPSIS OBSERVATIONVM.

- §. 1. **O**ccasio scripti.  
§. 2. Quare tr. de harm. rerum omnium in mundo praestabilita lucem non aspecturus est.  
§. 3. Initium sit responsionum ad observationes elencticas & postulatam II. Viri reu. Langii impugnatur.  
§. 4. Impugnatur postulatam III. viri reu.  
§. 5. Postulatam Vltimam reprehenditur.  
§. 6. Postulatam VII. taxatur.  
§. 7. Vltimo loco postulatam VIII. excutitur.  
§. 8. Ad observatorem reditur.  
§. 9. Ad §. 20. observatoris respondetur.  
§. 10. Ad §. 24. observatoris respondetur.  
§. 11. Ad cavillationes observatoris paucis respondetur.  
§. 12. Loca nonnulla disquisit. mod. examinantur.  
§. 13. Alius adducitur locus.  
§. 14. Ad argumenta nonnulla Dn. Langii respondetur.  
§. 15. Negat Dn. Langius scientiam Dei, quam simplicis intelligentiae appellat.  
§. 16. Conclusio.

§. I.

**P**Rodit L. B. paucis abhinc mensibus dissertatio in academia Halensi, cui titulus est: *Dissertatio de haeresium praedictione biblica & infelici earum pronentia in plerisque ecclesiis, imprimis Asia, quam in Regia Fridericiana die . . Sept. huius anni M DCC XXIV, Praeside D. Joachimo Langio, S. Theologia Prof. ordin. publicae disquisitioni subicit, eique observationes aliquot elencticas, disputatori cuidam Wittebergensi oppositas, subjungit, respondens Fridericus Theophilus Casscorb, Treptoa-Pomeranus, S. Theol. cultor, quae dissertatio, uti ex ipso statim rubro apparet, dissertationum de Heresiologia seculi post Christum natum primi & secundi ex ipsis antiquitatis fontibus delineata Ogdoadis prima est. In hac autem dissertatione ad objectiones illas, quas in dissertationibus, hac in academia eruditorum examini a me*

(A) 2

subje-

subjectis, de harmonia inter animam & corpus praestabilita, ex mente illustris Leibnitii & celeb. Wolffii aduersus reuerendi Dn. Langii disquisitionem modestam, reliquaque ejus hac in controuersia edita scripta, feceram, quibus Spinofismum partim, sententiae Leibnitiano-Wolffianae impactum, abstergere, partim etiam, quam male status controuersiae a reuer. Dn. Langio formatus in ejus protheoria postulatorum, disquisitioni modestae praemissa, esset, ostendere coeperam, respondere autor observationum elencticarum contendit. Incidebat, quam primum habita modo erat, in manus meas dissertatio, statimque animum addebat, ut ad objectiones istius auctoris, quod eadem vix alicuius ponderis esse statim apparebat, quam breui fieri posset tempore, responderem: quare autem nunc demum fiat, operæ erit pretium, ut hoc loco paucis exponam. Proposueram mihi in controuersia illa, quae inter reuer. Dn. Langium & celeb. Wolffium jam superiori anno coeperat, peculiare luci publicae exponere scriptum de Harmonia rerum omnium in mundo praestabilita, in quo loca illa philosophiae Wolffianae, quae duriora videri poterant, & ex quibus maximam criminandi (sit venia verbo) occasionem Dn. Langius ceperat, ex ipso systematis nexu explicueram, ostenderamque, si intra contextum accipiantur, & pro ut rerum verborumque nexus requirit, nihil illis inesse, quam quod dudum a scriptoribus metaphysicis aliis, theologisque omnibus, qui hypotheticam rerum necessitatem & divinam praescientiam, praescientiaeque certitudinem, defendunt, jam fuerit traditum, nihilque adeo, quod fatalem necessitatem, quod Stoicismum, quod Spinofismum, quem in omnibus fere modestae suae disquisitionis paginis celeb. Wolffio reuer. vir impeggerat, sapiat, in iisdem contineri. His absoluebatur prima scripti sectio: posterior vero ipsa reuer. Langii loca, ex modesta ejus disquisitione collecta, eaque extantiora, afferebat, ad eademque ex Systematis Wolffiani nexu respondebatur. Confectum hoc qualecunque scripturae genus iam magnam sui partem erat, cum dissertatio prior de Harmonia inter animam & corpus praestabilita lucem publicam aspiceret, unde & eiusdem (\*) in  
Diss.

(\*) In Tractatu, cui titulus: de harmonia rerum omnium in mundo praestabilita erit, - - fuse demonstrabo prater meritum Ccl. Wolffio fatum Stoicum

*Diss.* §. XXXII. jam mentionem feci, & quandoquidem interea temporis posterior quoque edita dissertatio fuerat, aduersus utramque autem Autor observationum elencticarum tela sua direxerat, constitueram, hanc, quam jam paro responsionem, dicto Schediasmati annectere. Transactum jam cum bibliopola erat, qui ejusdem imprimendi curam in se susciperet, qui etiam, quod manuscriptum jam a me acceperat, idemque censorum inspectioni commiserat, spe fretus, fore, ut proxime præterlapsis nundinis autumnalibus in publicum emitteretur, Lipsiensi idem librorum nouorum catalogo inserendum curauit.

§. II.

Quandoquidem autem nulla mihi jam relicta spes est, idem illud leuiusculum, si quantitate ponderes, scriptum luci publicæ committendi, paucis hic putaverim rationem factique speciem recensendam esse, ne vel fumivenduli suspicionem apud rerum ignaros incurram, vel dubium etiam aliis oriatur, ob dogmata forsan impia, insana fideique sanctissimæ aduersa in eodem tradita, publica id ipsum Principis Serenissimi autoritate diuulgare prohibitum esse, quo ipso non solum plurimum ponderis dissentientium opinioni accederet, sed mea etiam qualiscunque & existimatio, & fortuna, periclitari posset. Origo mali, si malum appellare licet, liticula quædam est, quæ mihi hac in academia cum nonnullis philosophiæ Professoribus inde ab aliquo tempore, ob rem nullius ponderis, hoc est priuatam & domesticam, intercessit, in qua cum voluntatibus eorundem obsecundare recusauerim, infensissimos mihi eorum fere reddidi animos. Lis illa cœperat, infelicesque fecerat progressus, cum tempus impenderet, quo, si a prelo redire justo tempore dictum Schediasma deberet, committendum jam eidem erat. Tradebatur ergo a me idem bibliopolæ, qui, quod priuati commodi causa hic loci idem, quam alibi, imprimi malebat, Professorum Philosophiæ censuræ, more solito, tradebat, quorum tamen arbitrio, si per me stetisset, me traditurum idem nunquam, ob dictas modo rationes, fuisse, quivis facile intelliget. Præfixe-

(b)

ram

---

*Stoicum, necessitatem fatalem, Spinosissimi ipsum &, nescio tandem, quid non obtrudi, omnesque has imputationes ex neglecto vero verborum ejus sensu esse exortas.*

ram Scripto nomen meum, locumque impressionis justum: utramque autem, cum censuræ committeretur, rescissum a bibliopola, me licet inscio, eo consilio erat, ut eo facilius Scriptum recuperaret, nec ab illis, si meum in fronte conspiceretur nomen, (ex bibliopola autem, non mea mente loquor,) affectibus aliquid daretur. Eo etiam res jam erat perducta, ut alter Dnn. censorum suum *vidit* adjecisset, cum alterius adhuc censura experienda Scripto esset. Hic autem, nescio quo casu, consilium fuit mutatum, nomenque rescissum, locusque impressionis mutatus, in accusandi vertuntur argumenta, hisque quatuor adjiciuntur alia, quæ tamen non Scriptum ipsum, nec traditas in eo doctrinas, sed circumstantialia quædam ejusdem tangebant, quibus tamen adducendis, quod honori Dnn. censorum parco, supersedeo, atque cum illis Scriptum ipsum ad supremum Senatus ecclesiastici Consilium mittitur, cum tamen idem illud, quæ caput rei, quod hoc in tractatu fufius deduxerant, in utraque modo allegata dissertatione propositum jam a me esset, aduersus quas, quod gratia Dnn. censorum tum adhuc utebar, ne dubium quidem erat morum. Ipse interea a Dnn. censoribus nec moneor, nec audior, quin potius causas retenti hætenus Scripti me sapiuscule & interrogantem, & rogantem, celant, imo & in faciem, cum jam eorum de facto mihi constaret, negant, esse tale quid a se commissum, malo suæ, meliori autem meæ causæ, iudicio. His ita gestis potentissimi Regis nomine decernitur, divulgandum publice Scriptum non esse, idque ut serio impediatur, academix singulari mandato injungitur. Nullus autem hic dubito, fuisse grauissimas viris summis rationes, quare ita hac de re statuerint, veneror etiam eorum autoritatem, in eorundemque voluntate facile acquiesco: id tamen, dissimulare non possum, me singulari afficere lætitia, quod nec ipsius doctrinæ, quam in eodem defendo, nec illarum rationum causa, quæ a Dnn. censoribus adductæ fuerant, ita statutum fuerit, siquidem prius ipsorum Dnn. censorum consensu partim, partim silentio, posterius autem hinc argumentorum illorum a me facta confutatione, hinc ipsa superiorum confessione aperta, probare sufficienter possum. Neutrum ergo horum cum proposito scriptique divulgationi hætenus offecerit, superiorum voluntatem, gravissimis procul dubio rationibus motam, legis ad instar

star

star religioſe venerot, lubenſqve jam a ſcripti iſtius diuulgatione manus abſtineo.

ſ. III.

Hæc Species facti eſt, cujus recenſione vel propterea mihi opus eſſe videbatur, ne vel præſtare non poſſe, quod promiſeram, vel periculoſorum dogmatum reus hoc modo factus aliis videar, eoqve ipſo diſſentiendi, ſi forſan reſciuerit rerum geſtarum ſeriem, criminandi nouam occaſionem ſufficiam; quare & bona ſuperiorum gratia me hæc recenſuiſſe confido. Vides enim, id ipſum jam dum ab autore obſeruationum elencticarum factum, ſiquidem is mihi nunc *odium cathedrale* erga academiam Halenſem, nunc animum inique erga *Theologum* quendam *Halenſem* affectum, ob negatam, hujus academix cauſa, in patria munere eccleſiaſtico perſurgendi ſpem, nunc, neſcio quid alius rei, mihi tribuit. Autor harum obſeruationum, ſi titulo operis fides habenda eſt, reſpondens diſſertationis eſt; nec abnuo eſſe poſſe, ſiue imbecillitatem argumentorum, iudicijqve vim, ſiue reſponſionis ipſius totiuſqve deſenſionis opus reſpicias. Omnia enim iſthæc ita comparata ſunt, vt vires hominis, rerum philoſophicarum vel mediocriter ſaltem periti, non exſuperent; adeo nihil eſt, quod vel leuiſſimam parere ſuſpicionem poſſet, fore, vt ipſe vir reu. manum operi huic admouerit. Anteps tamen hæreo, facileqve me induci, vt credam, patior, ipſum reuer. diſſertationis præſidem etiam obſeruationum harum autorem eſſe, dum in epiſtola ad reſpondentem gratulatoria huic *ſpecimen* eruditionis gratulatur, quod ſua adiutus opera in obſeruationibus apologetico-elencticis, diſputatori cuidam *Vitrebergensi*, cui ipſius *Pomerano*, oppoſitis, præbuerit. Hoc autem ſi ita eſt, quem admodum non ſine ratione ſuſpico, facile jam conſpicere mihi erit, quare vir reu. reſpondentis potius, quam ſuo nomine reſpondere maluerit. Suo enim forſan ſaſtigio indignum iudicauit, ſi ipſe cauſæ ſuæ deſenſionem ſuſciperet, facileqve ſe hac in re diſcipuli cuiuſdam opera uſurum exiſtimauit. Mallem autem, vt vel ipſe vir reuerendus iudicij acutiſſimi intendiſſet neruum, vel, ſi congreſſi mecum ipſum puduiſſet, puduiſſet & ejuſmodi vti viri opera, qui defendendæ ejus cauſæ impar eſſet, eumqve ſua adiutum opera hoc ipſum præſtiſſe, ſcribere; ſed malim rem in medio relinquere,

(b) 2

quam

quam miseras ejusmodi observationes viro reuer. tribuere. Respondendum mihi tamen est, partim, quod sub viri reuer. moderamine conscriptae observationes istae sunt, partim, quod leuissimo dilui negotio possunt. Nihil enim hic allatum est, quo causae suae consultum esse vir reuerendus putet. Objeceram enim viro reuer. in *poster. dissert. §. 1. sq.* relata a viro reuerendo inter postulata modestae disquisitionis aduersus *Wolffianum* Systema esse, in quibus cardo rei, aut vt clarius dicam, controuersiae versetur status. Negat scilicet cum illustri *Leibnitio* celeb. *Wolffius*, esse inter animam & corpus vnionem physicam, (\*) quae communionem, sic & operationem physicam se exferat, idque ipsum a Dn. *Wolffio* negari, agnoscit ipse reuer. vir p. 6. *suae modestae disquisitionis*, & tamen postulatum II. p. 2. ita formauit: *inter duas essentielles hominis partes, animam & corpus, tanquam duas substantias physice distinctas, est vnio physica, uti communionem, sic etiam operationem physicam, se exferens.* Quam incongruo autem hoc postulatum fuerit formatum loco, cit. §. ostendi, atque idem esse obseruavi, ac si quis contra Cartesianos solis motum & terrae quietem postulaturus esset, siquidem, quemadmodum haec à Cartesianis, sic & priora a *Leibnitio* & *Wolffio*, negantur. Hoc ergo viri reu. postulatum vt in saluo obseruator collocet, putat, virum reuerendum grauissimas habuisse, cur ita postularet, causas inter quas 1) sit, quod sententia *Wolffiana* de vnione metaphysica, vti a reuer. quidem viro, nunquam autem a celeb. *Wolffio* appellatur, inter animam & corpus, argumentis, quae ullam discussionem requirant, nunquam evicta sit; sed pro mera hypothese, sine ullo argumento, imo sine vlla alicuius argumenti specie, gratis & temerarie assumpta. Atque ita tam *α φιλοσόφως*, agenti omni iure virum reu. opposuisse suum nego, & neganti suum ajo. Atqui idem, vt breuis sum, respondere poterat *Tychonicus*, si in postulatis motum solis & quietem terrae aduersus Cartesianum posuisset. Quod si excipis, probare saltem nonnullis argumentis à posteriori desumptis Cartesianos suum systema conari, cum celeb. *Wolffius* nullis respondeo: si argumentis à posteriori desumptis, hoc est, non ab experientia, falso praetensa, ductis, sed ab

(\*) Nempe sensu vulgari, quo ea influxum physicum inferre creditur.



sed ab effectibus petitis, locus relinquitur, etiam celeberrimus *Wolffium* sententiam suam argumentis confirmare fuisse annisum, dum omnes animæ & corporis actiones sua ex hypothesi explicare studuit, hocque ipso argumentis, a posteriore desumptis, eandem probare contendit, quæ tamen reuelleri in dissertt. citt. studuimus, reu. autem vir eo, quo par erat, modo nunquam tetigit, sed quemadmodum ipse hic fatetur, *agenti solum suum nego, & neganti suum ajo* opposuit. 2) Putat obseruator, iuste hæc postulasse virum reuerendum, quod sententia *Wolffiana* ante *Spinosam* sit inaudita, sua etiam absurditate extrema, simulac proposita & intellecta sit, se metipsam destruat, refutatione plane indigna. Sed hæc si ex animi sententia obseruator, & consentiente viro reuerendo, scripsit, regero 1) quod sic nec refutatione viri reuerendi indiguerit, oleumque adeo & operam vir reu. perdiderit, cum in modesta sua disquisitione peculiaribus capitibus hanc sententiam confutare aggressus est. Quid enim opus est, rem refutare, quæ, simul ac modo proposita & intellecta est, se ipsam sua absurditate destruit? 2) posito adeo absurdam sententiam *Dn. Wolffii* esse, uti a viro reu. describitur, quod tamen ne ego quidem, qui falsam tamen eandem esse persuasus sum, facile admiserim, confutandi quidem labore supersedere vir reuer. potuisset, si cum alio ipsi ea de re agendum fuisset, qui his hypothesibus addictus non est; dum autem jam data opera confutare eandem aggreditur, & aduersus ipsum *Dn. Wolffium*, qui de rei ejus (\*) veritate persuasus est, scribere sustinet, non postularis, sed rationibus, ipsi fuisset pugnandum. Quod autem 3) obseruator ad duplex quoddam exemplum prouocat, putatque viri reu. postulandi methodum vel eo vindicari posse, quod simili in casu jure ea obtineret, v. g. si quis medicaster & portentosi medicine systematis architectus suo errorum & absurditatum syrti substerneret hypothesin nouam de pulmonibus, tanquam concoctionis, & de ventriculo, tanquam respirationis, sede & officina:

(b) 3 ant,

(\*) Probabilitate potius scribendum erat, cum *Wolffius* Systema illud tantummodo tanquam hypothesi utatur ad reddendam rationem eorum, quæ a posteriore de mente constant; nil autem menti tribuat, quod a priori inde deductum sit vnice, multo minus eodem utatur tanquam principio ad veritates alias demonstrandas.

aut, si quis novus physica de humano corpore ostentator suis doctrinarum portentis substerneret fictionem de brachiis & manibus non ad laborandum, sed ad ambulandum, in morem quadrupedum datis. Ita enim subjicit: num -- disputator, hac opinionum monstrare refutaturus, sibi impositum crederet negotium demonstrationis, brachiis manibusque non ambulandum, sed laborandum esse: nec palmones, aut vesicam, sed ventriculum, concoctioni ciborum esse destinatum? Imo vero, respondeo, impositum mihi esse crediderim, si hominem ejusmodi data opera confutare, & de saniore sententia certiozem reddere vellem. Hoc enim si recusem onus, nec aggrediendus idem ille mihi erit, siquidem & confutare formaliter velle, & id, de quo quæritur, inter postulata referre, contraria sunt, & secummetipsis pugnantia. Aut ergo ridendus & deserendus stolidus ejusmodi homo erit, aut, si confutationis in nos onus suscipimus, ejusmodi utendum est methodo, quæ non id, quod aduersus eundem euincendum prius erat, tanquam jam euictum supponat.

## §. IV.

Sed leuiores hæc, quamquam certa satis omnique exceptione veriora sunt, quæ de hac disputandi viri reu. methodo & in dissertatione ipsa, & hoc loco, attulimus, facileque his veniam dare celeb. Dn. *Wolffius* posset, nisi & ejusmodi inter postulata a viro reu. fuissent relata, quibus omnes ejus de Stoicismo & Spinosismo imputationes vnice nituntur. Dabo hæc hac a viro reu. suppeditata occasione, partim ne putet, in hoc vnico solum exemplo paralogismum ab eodem esse commissum, partim vt appareat, quanti sit momenti, ejusmodi iniqua disputandi methodo uti, utque simul pateat, quibusnam fundamentis viri reu. accusationes sint superstructæ. Scilicet postul. III. quod p. 3. in postulatorum protheoria occurrit, ita habet; *homo est agens liberum, ea præditum libertate, ut sit causa sui regiminis pro arbitrio suo disponendi.* Quis sensus autem hujus postulati sit, aut quonam speciatim eodem vir reu. tendat, ipse statim explicat in annexo eidem Scholio, vbi ita disserit: *libertas agendi regendique speciatim includit potestatem ac regimen animæ in corpus suum organicum, ad illud ita mouendum, ut motus libere determinet, incipiat, dirigat, ac finiat.* Ex quo postulato, junctim

junctim cum Scholio suo accepto, id discimus, postulari à viro reu.  
 vt sibi concedatur 1) hominem esse agens liberum; 2) libertatem  
 hominis includere potestatem ac regimen animæ in corpus suum or-  
 ganicum (intelligit autem vir reuer. potestatem ac regimen physicum)  
 ita vt, sublato hoc regimine physico animæ in corpus, ipsa simul tol-  
 latur omnis hominis libertas. Vtrumque autem iterum iniuste po-  
 stulatur, quanquam posterius priori sit magis noxium, & *Wolfia-*  
*na* philosophiæ infestum postulatam. Etenim recte quidem postu-  
 lat vir reuerendus, hominem esse agens liberum; minus recte au-  
 tem aduersus Dn. *Wolsum*, cujus hypotheses ipsi libertatem huma-  
 nam omnem tollere videntur. Aut abstinendum ergo viro reuer.  
 à confutatione systematis *Wolfiani* fuisset, si aliis idem argumentis  
 oppugnare non potuisset, aut inter postulata id non fuerat referen-  
 dum, cuius causa confutationis negotium in se susceperat. Luben-  
 tissime enim experiri vellem, si celeb. *Wolffius* serio animæ homi-  
 nisque negaret libertatem, quid postulatis suis ad hanc euertendam  
 hypothesin vir reu. efficeret. Id scilicet, quod is, qui *Spinosam*  
 refutaturus inter postulata referret, dari plures quam vnicam sub-  
 stantiam, Deum & mundum non esse substantiam vnam eandem-  
 que, &c. Quanquam enim iustissima hæc postulata sint, vbi  
 nobis nec cum *Spinosa*, nec cum philosopho *Spinosiano* res est; in-  
 comoda tamen, ne quid grauius dicam, forent, si *Spinosa* syste-  
 ma refutaturus eadem postulatorum protheoriæ insereret. Sed ma-  
 joris momenti alterum est viri reu. postulatam, quo postulat, li-  
 bertatem, sublato animæ in corpus regimine physico, omnem tol-  
 li. Loqui enim hic virum reu. de regimine physico, ex eo patet  
 quod morale, hoc est, eiusmodi regimen, quo anima fundamen-  
 tum & causa est, quare hi illius corporis motus hoc illius modo  
 determinati & præstabili a Deo conditore, animi decreta dudum  
 præuidente, in corpore fuerint, celeb. etiam *Wolffius* admittit,  
 ipse etiam reu. vir. sub metaphysici titulo eidem tribuit. De phy-  
 sico ergo regimine loquitur, in oppositione ad morale & metaphy-  
 sicum, reu. vir in suo postulato: sed de hoc etiam male sibi postu-  
 lat concedi, quod eo sublato negatoque ipsa etiam negetur homi-  
 nis libertas. Constat enim viro reuerendo, negari a celeb. *Wol-*  
*fio* hoc ipsum physicum in corpus regimen, & hoc tamen non ob-  
 stante

stante

stante defendi ab eodem adhuc hominis libertatem, idque adeo probabilibus rationibus, ut non potuerim non ejus rationibus in *Dissert. prior. §. XXXIII.* calculum adjicere. Sed posito, nullis hanc viri celeb. sententiam defendi argumentis posse, posito, quod tamen nequaquam pono, ad faciendum fucum, uti vir reu. alicubi putat, hæc facta ab eodem solum esse, posito, tolli reuera hominis libertatem, sublato animæ in corpus regimine; numne vir reu. jure, quamdiu hæc Dn. *Volfius* negat, atque contrarium nonnullis saltem argumentis probare conatur, aduersum negantem hæc & contrarium probantem inter postulata sua, ab aduersario concedenda, numerare poterat, & in reddendis imputationum suarum de Stoicismo & fatali necessitate rationibus inter alia etiam ad hoc postulatum, tanquam rem satis euietam, euidentem & extra controuersiam positam, adeo secure prouocare, id quod tamen in ipso systematis progressu eundem fecisse *avtoris* docet? Nolim hic vel ipsa loca urgere, quibus suam cum libertate animæ de motibus corporis hypothesein celeb. *Volfius* conciliat, vel ea etiam repetere, quæ in compendio hac de re in *Dissert. cit. l.c.* attulimus, eo quod a scopo nostro hic alienum est: sed id modo urgeo, quod vel his omnibus præteritis & silentio sopitis *injusta* tamen sit illa viri reu. postulandi methodus, imo & cum adeo manifesto cum proximi damno & periculo conjuncta sit, religioni nostræ sanctissima quam maxime aduersa. Videat ergo vir reu. quomodo conferri cum amore proximi possit, quod celeb. *Volfio* hypothesein de sublata hominis libertate, euersisque hoc ipso omnis religionis & moralitatis fundamentis, obtrudit, probationem autem hujus rei a postulato nunquam sibi ab aduersario nec concesso, nec concedendo, desumit.

§. V.  
Sed superest adhuc alius in illa postulatum protheoria locus, qui prætereundus hic non est. *Postulatum* id est ordine sextum, quod p. 3. ita conceptum legimus: *in machina mundi & cujuscunque automati contingentia actualis constitutionis, seu existentia, non confundenda est cum contingentia consecutionis: quandoquidem illa facta est ex libertate; sed hæc cum libertate consistere nequit.* Hic ambabus largior viro reuerendo, differre constitutionis contingentiam a contingentia consecutionis, nec hanc cum illa confun-

confundendam esse; duo tamen sunt, quæ hic jure desiderari posse videntur. Initio enim liceat mihi ex viro reu. quærere, quomodo intellectum velit, quando contingentiam consecutionis cum libertate consistere posse negat. Annon aliqua inter contingentiam & libertatem datur pugna, & cum de contingentia constitutionis vir reu. concedat, consistere eam cum libertate posse, numne contingentiam consecutionis, quæ tamen fatentibus omnibus, summus contingentiam gradus est, solum repugnat, quominus cum libertate consistere possit? Quid ergo viro reuerendo libertatis nomine venit, si libertas ejus ita cum contingentia consecutionis pugnat, ut altera alteram euerrat, altera cum altera consistere nequeat? Hic, si mentem viri reuerendi, quam me probe assequi statim demonstrabo, premere vellem, ejusque quæ hic leguntur allata rigorose urgere verba, *Spinosæ* sententiam, quam de libertate fouit, facillimum mihi esset reuer. viro, ipsius ejusdem verbis, imputare. Consecutionis enim contingentia est, quæ nulla inter res, se invicem consequentes, datur necessitas, sed omnia se ita consequuntur, ut consequi etiam non possent: libertas ergo, quæ cum hac contingentia nequidem consistere potest, libertas est sensu *Spinosiano*, id est ipsa fatalis & ineuitabilis rerum necessitas. Quisquis ergo libertatis nomine ejusmodi quid intelligit, quod cum contingentia consecutionis consistere nequit, ille per libertatem ipsam fatalem necessitatem intelligit, adeoque libertatem sensu *Spinosiano* defendit. Sed nolo his consequentiis urgere reuer. virum, quod mentem ejus aliam fuisse constat, calamusque solum minus fideliter animi cogitata litteris mandasse videtur. Dicam enim, quod res est. Disputat vir reuer. aduersus celeb. *Wolffium*, qui, si non quæ voces, quæ rem tamen ipsam inter necessitatem *existentiæ* seu *constitutionis* & necessitatem *consecutionis* quando ipsi de mundo sermo est, inprimis *metaph. §. 565. §. 568. & 569. &c.* distinguit. Illam priorem mundo denegat, mundumque hunc vniuersim spectatum non necessario, sed contingenter existere, concedit, imo & defendit, siquidem pro demonstranda Dei existentia argumentum suum, quod solum mathematicam demonstrationem sustinere persuasus est, ab hac ipsa mundi contingentia desumit; hanc posteriorem autem mundo rebusque mundanis certo sensu tribuit. Hoc ipsum autem ægre fert vir reuerendus,

(c)

ideo-

ideoque ostendere voluit, quod hæc consecutionis necessitas, cujus intuitu celeb. *Wolffius* mundum cum machina comparat, cum libertate humana consistere nequeat, & quod illa existentia s. constitutionis contingentia, quam celeb. *Wolffius* mundo relinquit, cujusque intuitu mundum non necessario esse defendit, non sufficiat ad fatalem omnem ex hoc uniuerso tollendam necessitatem. Esse hanc viri reuer. mentem, ad oculum patet ex ejus *disquisit. modesta p. 41. seq.* ubi de contingentibus eorumque notione agit. Quis vero hæc ex ejus postulato eliceret, in quo cum de *necessitate* consecutionis negandum, ex viri reu. mente, fuisset, quod cum libertate illa consistere queat, idem de *contingentia* consecutionis jam, qua tamen nihil libertati convenientius est, aperte negatur? Calamus ergo hic viri reu. mentem procul dubio præcurrit, fuissetque postulatam ex viri reuer. sententia ita formandum: *in machina mundi & cujuscunque automati contingentia actualis constitutionis seu existentia non confundenda est cum contingentia consecutionis: illa enim, si ab hac separetur, ad tollendam ex mundo necessitatem sola non sufficit.* Ita enim vir reuer. saltem mentem suam suo in postulato recte expressisset, quod eodem, pro ut nunc conceptum jacet, ne quidem factum est. Sed, si vel maxime formatum ita postulatam esset, quis non videt, denuo id sic inter postulata a viro reuer. referri, quod probandum ipsi adversus celeberrimum *Wolffium* fuisset? Hic enim cum motus corporis humani non regimini physico animæ, sed impulsui reliquorum corporum mundanorum, in sensus nostros agentium, subjiciat, ita tamen, ut omnes horum motuum determinationes ad præuisas a Deo animæ cogitationes, consilia atque decreta accommodatas esse, statuatur, recte statuere poterat, admissa contingentia constitutionis, hoc est, facta motuum corporis convenienti cum liberrimis animæ decretis præstabilitione, necessitatem consecutionis ipsorum motuum in corpore libertati humanæ nil quicquam officere. Hanc viri celeb. sententiam, omni periculo vacuam, si impugnare voluisset reu. *Dn. Langius*, non postulatis, sed argumentis, rem aggredi debuisset, si quidem postulando id, quod dissentiens negat, & cujus contrarium studio defendit, nec ille confutatur, nec rei veritas asseritur. Et hoc tamen postulatam iterum imputationibus suis de *Stoicismo*, fatali necessitate & *Spinosismo*, ipsa

in

in disquisitione studiose factis, perpetuo reu. vir substernit. Quo ergo hoc jure fiat, rerum quivis vel mediocriter peritus facile aduertet.

## §. VI.

Constitueram hic, ne nimis prolixus essem, viri reuer. postulata linquere, & ad reliqua ab autore obseruationum mihi objecta respondere: quandoquidem autem semel postulatum horum ostendere iniquitatem cœpi, ne obseruator de iniuste factis viro reuer. imputationibus, quod conueratur, habeat, aut in sententia pertinaciter persistat, iustas habuisse virum reu. ita postulandi rationes, pergam hic, totamque postulatum protheoriam excutiam, quo omnibus pateat, quam præpostere controuersia hæc metaphysica in manifestum proximi damnum a viro reuer. fuerit pertractata. Ita ergo postulati septimi corollarium II. ibidem conceptum legimus: *contingentia, ad causas liberas relata, proprium est, ut aliter quam ipso actu euenit, fieri potuerit, & possit, & quidem non in alio quodam aliter constructo, sed in hoc ipso mundo.* Justissimum hoc videri postulatum iis poterat, quibus vel scriptum metaphysicum celeb. *Wolffii* lectum non est, vel termini etiam, quibus in eo vtitur, ex ejus mente & systematis nexu nunquam intellecti: quod si autem paulo curatius examinetur, juxta totum scilicet systematis *Wolffiani* nexum, illumque, quo mundi vocabulum a viro celeb. accipitur, sensum, non majori gaudet æquitate, quam si quis postulare vellet, ut sibi, idem simul esse posse & non esse, concedatur. Mundi enim vocabulum viro celeb. nec orbium cœlestium cum globo nostro terraqueo dispositionem, illorumque ad hunc nostrum relationem, nec ipsum globum nostrum terraqueum, aut viuens in eodem genus humanum, nec etiam totum rerum materialium systema, quomodo communiter accipi vocabulum solet, sed rerum omnium, in mundo hoc existentium, nexum notat, ita ut, quæcunque in hoc mundo sunt & contingunt, siue ad res a Deo creatas, siue ad facta euentusque humanos, pertineant, ad mundum pertineant, mundi que vocabulo comprehendantur. Hoc ergo sensu cum mundi vocabulum vir celeb. accipiat, recte *Metaphys. §. 553.* scribit: *Da das Wesen der Welt unveränderlich ist (§. 42.); so würde es nicht mehr dieselbe Welt bleiben, wenn der geringste Theil davon weggenom-*

(c) 2

men

men, oder ein ander in seine Stelle gesetzt, oder auch ein neuer hinein gerücket würde. Etenim sensu viri celeberrimi etiam leuissima quæque, minimiqve rerum humanarum euentus, ad mundum pertinent, ita quidem, vt si in his vel minima aliter, quam actu sunt, essent comparata, non is, qui nunc est, sed alius iam futurus esset mundus, quemadmodum v. c. oratio vel liber, quæ vnicam modo amittunt vocem, syllabam, literam, non eadem amplius cum priori oratione vel libro sunt, quibus eadem adhuc aderant, vel pannus, cui vnicum saltem filum vel demitur, vel additur, vel mutatur, non idem amplius est, qui antea erat pannus. Quemadmodum enim impossibile, vt res eadem sit maneatque post factam commutationem, etiam leuissimam, quæ ante eandem erat, quia impossibile est, idem simul esse & non esse; sic & impossibile factu est, vt eorum nonnulla, quæ in hoc mundo sunt & contingunt, aliter, quam sunt & contingunt, euenirent, & idem tamen, qui antea fuisset, maneret mundus. Sententia ergo hæc *VVolfiana* de mundo, dummodo vocabulum recte accipiatur, satis vulgaris & trita est, & ex primo contradictionis principio immediate fluit, vt adeo, quisquis eidem contradicit, & primo huic principio simul contradicat. Sed hinc iam facilius quoque cognoscetur, quo jure vir reuer. postulare potuerit, vt concedatur, *contingentia hujus mundi aliter, quam ipso actu eueniunt, euenire potuisse, & quidem non in alio quodam, aliter constructo, sed in hoc ipso mundo.* Aut enim vir reu. non eo sensu mundi vocabulum accipit, quo a celeb. *VVolfio* accipitur, quod tamen facere debuisset, reus nisi *ignorationis elenchi*, maximi in tractandis controuersis vitii, fieri voluisset; aut si eodem sensu accipit cum *Dn. VVolfio*, postulat, vt sibi concedatur, quod hic mundus & idem simul esse possit & non esse, quod contradictorium. Postulat enim, vt alia in hoc mundo, hoc est, rerum per se subsistentium & euentuum humanorum nexu, quam quæ actu sunt & contingunt, eueniant, & idem tamen, qui nunc est, rerum per se subsistentium & euentuum humanorum nexu maneat. Ipse ergo vir reuer. videat, quam sibi sententiam ex duabus hisce allatis eligere in alit.

## §. VII.

Ex dictis vero iam liquet, quo loco habendum sit *postulatum octauum*:



*oblatum*: quod a viro reuet. ita formatum est: ad *possibilia hujus*  
*universi*, præsertim ad *causas liberas relata*, non solum ea, quæ  
*actu facta sunt, fiunt, & futura sunt, pertinent*; sed ea etiam, quæ  
*actu nec facta sunt, nec fiunt, nec futura sunt, potuerunt tamen possunt-*  
*que ac poterunt fieri*. Eodem enim fere cum proxime antecedente reci-  
 dit, adeoque & ex eisdem fundamentis est dijudicandum. Ut tamen pau-  
 lo plenius de re omni constet, notandum hoc loco est, opponi hoc po-  
 stulatum reu. viri thesi cuidam *VVolfiane*, quæ hic asseruerat, non esse  
 alia in hoc mundo *possibilia*, quam quæ actu in eodem vel facta jam sunt,  
 vel adhuc adsunt, vel in posterum saltem in eodem certo futura sunt.  
 Exponit mentem suam vir celeb. *metaphys.* §. 572. Aus diesem er-  
 kennet man zugleich, was in dieser Welt wütrcklich wird, nem-  
 lich was in dem Zusammenhang der Dinge, welchen die gegen-  
 wärtige Welt ausmacher, gegründet ist (§. 29.); Hingegen was  
 ihm widerspricht, oder in ihm nicht gegründet ist, das kan in die-  
 ser Welt nicht geschehen. Was also in dieser Welt mæglich ist,  
 das ist entweder schon da gewesen, oder ist noch da, oder wird  
 noch künfftig kommen: Hingegen was in dieser Welt unmæglich  
 ist, köente deswegen wohl in einer andern wütrcklich werden. Item  
 §. 575. Was in dieser Welt mæglich ist, das musz auch kömen,  
 wenn es nicht schon da gewesen, oder noch da ist, und kan un-  
 mæglich ausbleiben. Ex quibus verbis patet, mentem viri celeb-  
 errimi esse, quod omnia hujus mundi *possibilia* etiam actu in eo-  
 dem contingant, tum &, quod sola illa, quæ actu in hoc mundo  
 contingunt, etiam *possibilia* in eodem solum sint, vt adeo *possibi-*  
*lia hujus mundi & quæ actu in eodem contingunt, ei sint Synony-*  
*ma*. Quæ sententia, id quod negare non possum, ex omnibus hy-  
 pothesibus *VVolfianis* durissima mihi semper visa fuit, adeo, vt ipse  
 aliquando, quin periculosa sit, vix dubitaverim, cum me primum  
 ad lectionem scriptorum celeb. *VVolfii* accingerem. Omne autem,  
 quod hic moueri dubium potetat, facile collabitur, dummodo in-  
 ter *possibilia in se & absolute, & possibilia relative spectata*, hic lo-  
 ci distinguatur. *Possibilia* enim & *contingentia* quando vir celeb.  
 pro *Synonymis* habere videtur, non *possibilia simpliciter & absolu-*  
*te talia, sed possibilia hujus mundi, adeoque respectiue talia, so-*  
*lum intelligit, atque hoc sensu, sententia ejus nihil inuoluit, a quo*  
*ullum metuendum sit periculum*. Et enim hoc quiuus facile largie-  
 tur,

tur, ea solum in hoc mundo, sensu *Wolffiano* accepto, hoc est rerum omnium diuinarum humanarumque, vt cum nonnullis philosophorum loquar, præsentis nexu possibile esse, quicquid cum diuina præscientia, quam *visionis* theologi appellare solent, congruit; quod si enim aliud adhuc in eodem possibile esset, vel Deus hunc rerum nexum integrum ejusque casus omnes non præuidisset, vel diuina etiam præscientia, quam *visionis* vocant, falli posset, quorum utrumque absolum. Sed sola illa diuina præscientia, quam *visionis* vocant, præuidit, quæ actu jam facta sunt, fiunt, & futura adhuc sunt: ergo sola illa, quæ actu facta sunt, fiunt & futura sunt, in hoc mundo quoque tantum sunt possible. Possible ergo hujus mundi & actu contingentia ejusdem sunt unum idemque, quanquam de cetero ambabus largiar, possible in genere accepta & contingentia hujus mundi diuersissima esse, siquidem non omnia, quæ simpliciter possible sunt, in hoc mundo contingunt, nec contingentia hujus mundi uniuersum possible numerum absoluunt. Patet autem veritas hujus thesios etiam ex primo illo contradictionis principio. Vel propterea enim alia in hoc mundo possible non sunt, quam quæ actu contingunt, quod, si alia contingerent, quam quæ eueniunt, idem non amplius futurus esset, sed ab hoc jam aliquo modo diuersus mundus. Cum autem mundus hic & idem, & diuersus, simul esse nequeat, possible etiam alia *in hoc mundo*, sensu *Wolffiano* accepto, non sunt, quam quæ actu in eodem contingunt. Atque hæc sententia *Wolffiana* est, quam reuer. Dn. *Langius* it impugnatum. Impugnat autem iterum non rationibus, sed postulatis. Postulat enim, vt sibi a dissentiente concedatur, quod tamen idem negat, sed postulat simul, vt sibi concedatur, idem simul esse & non esse. Non aliud enim quid est, quando postulat, ad possible hujus uniuersi non solum ea, quæ actu facta sunt, fiunt & futura sunt, sed ea etiam, quæ actu non facta sunt, nec fiunt, nec futura sunt, potuerunt tamen, possuntque ac poterunt fieri, pertinere. Quod si enim hic modo verba *hujus mundi* vir reuer. omisisset, optime sibi postulatum constaret: his autem adjectis, jam vel ipse prodit, se statum controuersie non fuisse affectum, vel postulat, vt possible sit in hoc rerum nexu, quod in eodem nec fuit, nec est, nec futurum est, vt idem tamen maneat rerum nexus: quod  
idem

idem est, ac postulare, vt possibile in corpore humano membra, partesque organicæ sint, quæ nunquam in eodem, nec fuerunt, nec sunt, nec erunt, & idem tamen maneat, quod antea fuit humanum corpus; vel vt in horologio aliæ possibile rotulæ & elastra sint, quam quæ in eodem fuerunt, sunt & erunt, & idem tamen cum priori maneat horologium. Patet ergo, quid de eo iudicandum sit, quando vir reu. in Scholio huius postulati ita pergit: *aquitas & necessitas huius postulati in eo est, quod, nisi concedatur scilicet, & fundamentum & exercitium libertatis cum universa doctrina morali concideret, nec in specie imputatio locum retentura esset vllum.* Non enim libertas hominis concidit, si sententia *Wolffiana* admittatur, sed primum veritatis principium corrumpit, si viri reuer. postulatum concedatur: Homo enim libertatem habet, vt actiones suscipere alias, quam quas suscipit, queat; id tamen efficere libertate sua nequit, vt vniuersum hoc, in quo hæc agit, idem tamen, si alia vel maxime ageret, maneat, nec ab isthoc diuersum euadat. Nihil ergo noxæ hic libertati humanæ creatur, sed primum modo principium, sæpius iam adductum, stabilitur, quod postulato suo vir reuer. tollit. Et posito, tolli sententia *Wolffiana* libertatem humanam, numne postulatis eandem confutare fas erat? Nolo autem de postulato nono & decimo hic multa adjicere, quamquam & hic forsitan essent, quæ moneri possent, siquidem nono fatalem & absolutam necessitatem euincere conatus, cum tamen hypothetica solummodo sit, quam celeb. *Wolffius* defendit. Hæc enim modo eum in finem adducere volui, vt iudicare quilibet eo facilius possit, qua veri specie obseruator scribere queat, virum reuer. grauissimas habuisse ita postulandi causas. Iudicet etiam rei peritus, quid de eo sentiendum sit, quod ipse reu. vir hanc postulatorum suorum *protheticam methodo demonstratiua consignatam* esse gloriatur in *vindiciis modestæ disquisit. p. 30.* Hæc enim si methodus demonstratiua est, quando id, quod probandum erat & argumentis aduersus dissentientem confirmandum, in postulatorum classem conjicitur, nihil adeo monstrosi erroris erit, quod non defendendum, nihil adeo apertæ veritatis, quod non impugnandum & confutandum in me suscipere aulim.

§. VIII.

## §. VIII.

Ad obseruatorem redeo, qui §. 9. putat, *nihil* in postulato secundo viri reuer. desiderari logice posse, dummodo quis *sensum communem* hic adhibeat. Miror autem, permisisse virum reuerendum, ut ineptus obseruator ipsius adjutus opera ita scribere potuerit. Sensum enim communem, quem in aliis obseruator desiderat, sibi ipsi defuisse vel ipsa hac postulatorum defensione testatur, siquidem absurditas sententiæ, quam tantam sibi persuadet, aduersæ non sufficit, *ut omni jure logico vir reuer. postulatam suam secundum in protheoria ponere potuerit*, uti jam antea demonstratum. Aut enim vel confutatione plane abstinere, vel id, quod confutandum erat, non postulatis inferere debuisset. Quod autem §. 10. pro probando animæ & corporis mutuo influxu, quam ipse, dummodo influxus vocabulum ab imperfectione sua liberetur, defendo, ad experientiam denuo prouocat, quæ *in rustico ad stiuam* quoque viuidissima sit, illud, si verum fatendum, physices partiumque corporis humani, speciatim cerebri, neruorumque & sensationibus, & motibus corporis, destinatorum ignorantiam sapit, neque hic cum quoquam de experientia disputari potest, nisi cui hæc, pro uti par erat, cognita sunt. Et quid tandem ad experientiam pro probanda animæ in corpus, & corporis in animam, actione prouocari potest, cum experientia, nisi quis prius cadauer cultro anatomico secari viderit, ne quidem constet, quod nerui sensorii & motorii in cerebro dentur, nedum quomodo ex illis rerum imagines anima recipiat, his autem organa corporis organorumque musculos moueat? Horum structuram qui ignorat, ignorat & hinc sensationum, hinc motuum corporis, formalem rationem, videturque sibi adeo aliquid experientia perspectum habere, quod ab omni experientia remotissimum est. Obseruator ergo videat, quid commune habeat experientia, quæ hic requiritur cum illa, qua nouimus non manibus, sed pedibus incedendum esse, & quam mihi §. 16. objicit, ipseque facile cognosceret, non quadrare omnino hanc, quam dare voluit, instantiam. Sed miror, obseruatorem §. 17. post mea adducta verba scribere: *quod si jam hæc argumenta, quæ scilicet aduersus harmoniæ præstabilitæ systema adducta a me erant, consideres, nihil deprehendes, quod non argumentis Langianis partim pateat, partim lateat.* Cur enim non ad-

jicit,

jicit, in ipso jam alphabeto eadem contineri? Ipse enim adeo quidem sustenus mihi non sum, ut illa quæ attuli argumenta, a nemine alio afferri potuisse, persuasus sim: a reuer. tamen Dn. Langio nihil eorum in disquisit. modesta alibi que allatum esse certo noui, si quidem is ubiuis *Spinosisimi* modo & fatalis necessitatis anathema repetit, ego vero his omnibus omisis solis rationibus physicis utrumque hujus Systematis caput aggressus sum, Quando ergo pergit: *Et quicquid notabilem habet conuincendi vim, in meis scilicet argumentis, id præcipue in argumento isto Langiano, ab experientia, quæ consensum uniuersi generis humani genuit, desumpto, situm est, nego verum hic fateri obseruatorem.* Reuer. enim Dn. Langius experientiam ultra, quam a dissentientibus conceditur, extendit; ego vero in illis modo ad experientiam prouoco, in quibus ab ipsis dissentientibus, tanquam fida rerum magistra, eadem admittitur. Objicit autem obseruator §. 18. quod dicta scriptura omnia, quæ reuer. Dn. Langius celeb. *Wolffio* opposuerat, forsitan ex mente celeb. *Wolffii* explicari commode posse, adeoque nec hæc eundem ferire, in dissertatione posueram, idque specimen orthodoxiæ hermenevticæ vocat. Verum quid opus hac reprehensione erat, cum ipse verba dubitanter posuerim, non quod ipse dubitarem, annon eo sensu, quo commercium animæ & corporis in Systemate *Leibnitiano-Wolffiano* explicatur, intelligenda scripturæ loca sint; sed quod putabam, non defutura forsitan celeb. *Wolffio*, quæ ad hæc scripturæ loca exciperet? Superfedere ergo & obseruator, quisquis ille est, criminatione illa de orthodoxiæ hermenevticæ specimine potuisset, operamque potius dare, ut solidiora & saniora pro sua defendenda causa attulisset. Mitto alios dictionis flosculos, ne par pari referre cogar.

## §. IX.

Id tamen præterire silentio non possum, quod §. 20. verba mea, quæ in fine dissertat. poster. de harmon. præstabil. posita a me sunt, quod scilicet non de salute Ecclesiæ & Reipublicæ, sed de hypothese aliqua philosophica agatur, sugillat, atque adjicit, quod auctores facinoris illius, quo Rex Angliæ Jacobus I. & Regni procere in curia congregati, supposito & incenso puluere pyrio in frustula miserime erant discutiendi, in neruum abrepti negare potuissent, agi de salute reipublicæ, atque causari, nihil subfuisse, nisi experimen-

(d)

tunt

tum pulveris pyrii physicum, nemini noxium. Scilicet vel hac sola instantia, quæ insignem iudicii defectum prodit, plene mihi persuaderi passus sum, virum reuer. ipsum autorem harum observationum non esse, quanquam sua adiutum opera autorem easdem consignasse ipse fateatur. Adeo enim misera & jejuna est, ut responsione indignam quilibet facile iudicaverit. Id tamen observator probe a viro reuer. didicit, ut inter postulata rejiciat, de quo disputatur. Supponit enim, æque periculi plenam esse sententiam *Wolfianam*, ac conjuratio illa Anglicana, ut adeo, quemadmodum eorum conatus male inter experimenta physica referrentur; sic & illam hypotheseos philosophicæ, quæ nec reipublicæ, nec ecclesiæ infesta sit, nomine indignam esse euincat, contra quod tamen assertum in priori dissertatione studiose depugnaui, atque ejusmodi argumenta attuli, ad quæ ne verbulum quidem observator regerit. In hac autem disputandi methodo cum nemo felicior ipso reuer. Dn. *Langio* sit, id quod multis modo exemplis probatum fuit, iterum fere dubitare incipio, numne ipse autor observationum sit. Malim tamen illi, easdem tribuere, cujus captui magis quam viri reuer. respondent: parum enim curo, quo cum mihi res sit. Sed jam ad priorem meam dissertationem observator se convertit: hactenus enim de posteriori solum egerat. Hic autem statim post præmissa, quibus memactat, encomia, de affectuum conqveritur acerbitate, quibus in reu. virum in eadem ferat, hisque mox subjicit: *Et pro hoc animi sui statum negat solem in meridie, aut, si mavis, tenebras in spissa nocte, hoc est fatum fatuum, seu Stoicum ac Spinozianum in Systemate Wolfiano.* Multa hic sunt, quæ responderi possent, si prolixior paulo esse placeret. Etenim 1) nego, esse me acerbitate affectuum aduersus virum reu. usum. Vnicum excipio in *Dissert. priori* locum, qui tale quid præ se ferre poterat, quando ibidem §. 57. virum reu. pessime, & contra quam bonum virum docet, in explicandis scriptis *Wolfianis* versatum fuisse, scripsi. Quanquam autem malle, ut hæc verba inter collationem locorum *Wolfianorum* cum allegatis Dn. *Langii*, præter sensum mentemque *Wolfii* factis, hærenti non excidissent; nihil tamen præter rei veritatem dictum fuit, facileque, si rei postulaverit necessitas, assertum probabo; adeo enim indigne & præter manifestum dicentis scopum verba Dn. *Wolfii* vir

fi vir

fi vir reuer. sæpius distortit, vt sine indignatione, cum mea tamen isthæc nil quicquam referant, ne ipse quidem legere potuerim. Ipse ergo vir reuer. 2) dictum sibi potius putet, quod *solem in meridie, aut si manus, tenebras in spissa nocte neget*, quando fatum fatuum seu *Stoicum* ac *Spinozianum* in Systemate *Wolfiano* non adesse negat. Pugnat enim vir celeb., idque satis feliciter, aduersus fatum fatuum, *Stoicum*, & inprimis *Spinozianum*, dum contingentiam mundi aduersus *Spinosam* perspicue defendit: vir reuer. autem hæc non solum non videt, videre saltem recusat; sed & ipsa viri celeb. argumenta, quibus hoc opinionis monstrum impugnat, in accusandi & damnandi materiam convertit. 3) Afferit quidem obseruator, negare me fatum fatuum, *Stoicum* & *Spinozianum* in Systemate *Wolfiano*, sed de argumentis, quibus motus illud negem, nihil adjicit, nedum verbulum ad eadem reponit. *Conclusionem* itaque suam repetit, ad argumenta & rationes nihil respondet. Quid autem hoc aliud est, quam, præteritis præmissis, negare conclusionem? Demonstraveram scilicet in priori *Dissert. §. XXXII. sqq. Wolfiana* illa de motibus corporis theoria nequaquam libertatem hominum subruere, quod, quanquam motus illi in corpore necessarii & ineuitabiles esse dicantur, iidem tamen liberrimis animæ decretis a Deo accommodati sint, vt adeo, cum in determinandis corporis motibus Deus animæ decreta desideriaque, quæ singulis momentis habitura esset, ante oculos quasi posita habuerit, adeoque hæc ipsa liberrima animæ decreta ipsius motuum determinationis, a Deo factæ, vnicum fundamentum sint nulla veri specie dici statuique queat, tolli his motibus animæ libertatem. Qui enim id determinatis corporis motibus tolli potest, quod ipsum ipsius determinationis fundamentum & causa est? Fusius hæc in ipsa dissertatione deduxi. Quid autem ad hæc obseruator? *Silentio hæc omnia præterit, nec vel minima saltem hic excipit*: conclusionem tamen & anathema *Stoicis* atque *Spinosis* hoc non obstante repetit, meque pro animæ meæ statu *solem in meridie, aut tenebras in spissa nocte negare* scribit. Egregie scilicet responsum!

## §. X.

Quando ergo obseruator adjicit; *quare, cum logica argumenta apud ipsum locum habeant nullum, ipsi interea, donec affe-*

(d) 2

Et unum

Et cum obliquitas defierit, oppono auctoritates illorum, quotquot ex  
 eruditis non exiguo jam numero *VVolfiano* systemati contradixerunt,  
 & in eo ad unum fere omnes productis argumentis conveniunt, quod  
 systema illud *Spinosianum* fatum e *Leibnitiano* poculo propinet &c. re-  
 gero 1) quod reuer. viro potius, quam mihi dictum sit, quod logi-  
 cis argumentis nullus ab eo relinquatur locus, siquidem is argumen-  
 ta, pro abstergendo fato *Stoico* & *Spinosiano* systematis *VVolfiani* alla-  
 ta, sicco, quod ajunt, pede, forsan quod solvi posse diffidit, præ-  
 terit, & conclusionem tamen ab observatore, sua adjuto-opera, re-  
 peti permittit: 2) auctoritates doctorum virorum veneror; pro prin-  
 cipio autem cognoscendi in rebus, in controuersiam vocatis, non  
 admitto, siquidem alias inter illas & reuer. Dn. *Langii* auctoritas ad-  
 mittenda esset, quam tamen, ejus pace, hic rejicio. Non est ergo,  
 cur s. 24. ad nubem testium de *Langianis* scriptis, *VVolfiano* *Syste-*  
*mati* oppositis, provocet, quæ testetur, quod non solum solida sint,  
 sed etiam majore, quam istius autor pro suorum & errorum & fa-  
 ctorum indignitate meruerit, moderatione concinnata. Per me e-  
 nim licet, quicquid alii de scriptis *Langianis*, hæc in controuersia  
 editis, sentiant, scio quid ego sentiam. Noui etiam plurimos; jam  
 ante semestre enim spatium eosdem ex litteris, a reu. Dn. *Langio*  
 non ad me quidem, mei tamen causa huc *VVittebergam* datis, e-  
 jusque jussu mihi & monstratis, & prælectis, rescire datum fuit,  
 siquidem & tum ipsius *Ruardi Andale* litteras ad ipsum datas simul  
 mittebat, ut ex illis viri doctissimi de causa *VVolfiana* sententiam per-  
 spicerem, & si hinc argumenta a viro reuer. sollicitè conquisita,  
 & prolixè exposita, hinc reliquæ parum apud me valerent auctori-  
 tates, hujus saltem aliquid auctoritati darem, & vel idem cum viro  
 reuer. de controuersia *VVolfiana* sentirem, vel etiam, si isthoc nol-  
 lem, pedem ab eadem plane referrem. Neutrum autem hæctenus,  
 quod convictus de sententiæ defensionis veritate sum, facere potui,  
 quanquam parum vel commodi ex defensione mea celeb. *VVolfio*, vel  
 damni ex confutatione reuer. Dn. *Langio*, hinc sperandum, hinc  
 metuendum sit: vnde & post illud tempus adhuc dissertationem po-  
 steriorem edidi, & si per me stetisset, illud de harmonia rerum o-  
 mnium in mundo præstabilita scriptum dudum edidissem. Auctori-  
 tatibus ergo aliorum me nihil terreri, jam nosse observator poterat,  
 adeoque



adeoque & illas mihi objiciendi labore supersedere. Num autem *harmonia præstabilita in reu. Dn. Langii scriptis*, quod obseruator putat, eam acceperit anatomem, qua tota ejus compages sit disjecta, facillime dijudicari a quolibet poterit, qui modo postulatorum protheoriam, hic loci breuiter a me excussam, vel obiter saltem inspexerit. Ego certe persuasus sum, nisi alia, hac certe Dn. Langii anatomie harmoniam præstabilitam nunquam ita disjectum. Quod vero adjicit, *argumenta*, quæ contra harmoniam præstabilitam a me *uberius deducta sunt*, a reuer. Dn. Langio indicata jam, & *satis quidem emphatice*, esse, ad id jam antea responsum est. Satis tamen emphatice aduersus celeb. *VVolfium* virum reuer. scripsisse, si *emphasin in Stoicis, Spinosis & fatalis necessitatis anathemate* ponas, aut *tristem etiam & tremendum controuersia effectum* intelligas, facile concedo; si in *argumentorum autem & rationum ponderibus emphasin* quæras, nego; non enim rationibus, sed postulatis, a dissentiente nunquam nec concessis, nec concedendis, a viro reuer. hic fuit depugnatum, id quod ex dictis meridiano sole clarius liquet.

## §. XI.

Non ergo est, cur obseruator adeo iniqve ferat, quod, cum ipsam harmoniam præstabilitam oppugnatum iuerim, id tamen, uti putat, a me *impetrare non potuerim*, ut *Langianum institutum vel verbulo saltem probarem*. Quid enim probem, ubi nihil, quod probari possit, adest, ubi *omnia contra auctoris mentem accipiuntur, omnia ad alienum sensum rapiuntur, non argumentis, sed male conquisitis postulatis, pugnantur*? Nee video, quare id obseruator a me requirat, cum tamen ipse sub §. c. finem scribat, *reu. Dn. Langium Wittebergensium elogia nec captasse, nec expectasse, utpote istorum ne quaquam indigum*. Vellem ergo, ut distinctius explicasset obseruator, quo loco habere debeam, quod me *Schelguigiani commatis auctorem* vocat, & numne vituperium id, an contra interpretari debeam. Mallem &, si prius, quod facile suspicor, intendit, in quonam me *B. Schelguigium imitatum* putet, ut adjecisset. Nam & magnis aliquando viris sui sunt næui: non hos autem, sed virtutes, magnorum virorum, imitandas esse cognitum dudum habui. Quando autem obseruator, ob assertam a me veritatem, &

(d) 3

impugna-

impugnatam Dn. *Langii* peruersam postulandi methodum, *Cathedrale mihi odium, a praeceptoribus in discipulos transfusum*, tribuit, putatque me ex eo, quod ob studia *Vittebergensia muneris Ecclesiastici in Pomerania obtinendi spe exciderim, speciali odio ferri in theologum Halensem, ast istius rei nec causam nec occasionem ullam*, id criminatorem, nunquam ulla veri specie probandam, publice hic interpretor. Nunquam enim probatum dabit obseruator, & , cujus adjunctus opera scripsit, ipse reu. vir, me ex odio cathedrali, a praeceptoribus in me transfuso, aduersus illum scripsisse, nedum ob negatam in patria muneris ecclesiastici spem speciali in ipsum virum reuer. odio ferri. A cathedrali enim, si quod est, odio alienissimus sum, non autoritates, sed rationes ponderans: factam autem ex patria ob hanc ipsam academiam exclusionem, non aduersam, sed secundam interpretor fortunam, siquidem sic demum illo potitus scopo sum, quo potiri an alias potuissem, dubito. Quod autem addit, compertum viris prudentibus esse, *atheismum ipsum odio isti cathedrali sic dicto pietismo tolerabiliorem esse*, in eo nemo ei sanus assentietur. Fallitur ergo aliosque fallit obseruator, quando hinc rationem se petere posse sperat, cur aduersus virum reu. insurgere coeperim. Facile autem video, quo hoc obseruatoris inuentum tendat. Scilicet ut lectori suo persuadeat, non ex animi sententia aut veritatis causa me hac aduersus reu. *Langii* disquisitionem monuisse, sed ut occasionem modo captarem, odium jam ante animo conceptum in illum effundendi, ut adeo causae reuer. viri, eo quod ipse affectibus abreptus scripserim, nil quicquam decedat. Hoc dubium autem ut eximatur lectori, fatendum mihi est, nihil me odio magis prosequi, quam si affectibus aliquid in controuersis dari obseruauerim. Facile enim hic eo adducor, ut ne argumentis quidem, si qua adhuc adsint, - ejus partis, quam affectibus, non veritate, duci obseruo, locum facile relinqvam: quid magis ergo impium esset, quam si, quod in aliis detestor, ipse id admitterem? Huic rei accedit, quod antequam ipse scripta *VVolfiana* legere coepi, *peissima quaeque hoc de viro persuasus fuerim*, siquidem communis fere jam ab aliquo tempore rumor fuerat, impia illum & Deo omniqve religioni aduersa in collegiis suis philosophicis tradere (nam ipsemet eum nunquam audiui.) Fiebat hinc, ut pro eo, quo in Deum & religionem hinc natura-

natura-

naturalem, hinc reuelatam, feror affectu odium intensissimum animo aduersus virum celeb. conciperem, hisque præiudiciis occupatus ad scriptorum eius lectionem me accingerem. Legi tamen prius celeb. *Wolffii* metaphysicam, quam viri reuer. disquisitionem. Omnia autem hic deprehendebam ab insita jam menti opinione longe diuersa. Nihil hic impii, nihil periculosi, nihil a sana doctrina alieni, dummodo termini probe ex systematis nexu & autoris mente intelligerentur, & subsequenterum explicationes ex antecedentibus peterentur: addo & nihil noui hic deprehendi, sed quicquid ab aliis metaphysicis, *Stablio*, *Scharffio*, *Scheiblero*, *Veissio* aliisque, tum & theologis; quando caput de præscientia diuina exponunt, latinis traditum verbis erat, id ipsum germanicis hic & in continua §§. successione, expositum legebam. De illis autem loquor locis, ex quibus princeps accusandi argumentum a viro reuer. desumptum est. Hærebam ergo initio, longe alia jam de celeb. *Wolffio*, quam ante fueram, persuasus, suspendebam tamen iudicium, donec bis atque ter, repetita metaphysices in integra sua *συνοψει* lectione, magis magisque in sententia confirmabar. Viri ergo reuer. jam aggrediebar disquisitionem, loca disquisitionis locis metaphysices contendebam, deprehendebam, in disquisitione, & extra contextum, aspera omnia, dura atque impia videri; intra contextum plana, facilia, saneque philosophorum & theologorum doctrina conformia omnia. Atque sic tandem hanc de philosophia *Wolffiana* indui mentem. Virum reuer. autem sæpius longe alieno sensu verba celeb. viri accipere animadvertēbam, idque non sine animi sæpius indignatione, ideo quod indignum putabam theologo, adeo leui brachio in dijudicandis rebus versari, a quarum iusta vel minus iusta interpretatione aliorum sæpe existimatio, dignitas, munera, fortuna ipsaque vita pendent. Non ex cathedrali ergo odio, sed rei veritate victus, virum reuer. impugnavi.

## §. XII.

Ne autem vir reu. putet, dici hic a me, quod probari nequeat, permittat quæso, vt vnum saltem alterumque locum ex modesta eius disquisitione adducam. Sic enim v. c. vir. reu. §. 561. seq. §. 567. seq. & §. 817. ex metaphys. *Wolffiana* p. 31. disquisit. modest. adducit, in quibus a viro celeb. asseritur, impossibile esse, vt ea, quæ in hoc

hoc

hoc mundo certa sunt & eueniunt, in eodem non eueniant. Ita enim §. 62. inquit: *Sind die Begebenheiten in der Welt gewiß, so ist nicht möglich, daß sie nicht kommen solten. Und auf solche Weise müssen sie kommen, folgendes sind sie in so weit nothwendig.* Atque in hoc ipso consentientes habet omnes theol. & philosoph., qui modo diuinam rerum contingentium præscientiam admittunt, atque ejus intuitu defendunt, impossibile esse, ut id non fiat, quod Deus præuidit, imo ipsam scripturam Sacram, quæ Joh. XII, 39. expressis verbis Judæos credere non potuisse asserit, quod Deus eorum incredulitatem præuiderit, eandemque per os Esaiæ prædixerit: non tanquam diuina præscientia rebus inferat necessitatem, sed quia eadem vltima hominum decreta vltimosque rerum eventus præuidit, ideoque & falli nequit. Aut asserendum ergo est, impossibile esse, ut id non fiat, quod Deus præuidit, aut fatendum, falli diuinam præscientiam posse. Si ergo impossibile est, ut, quod Deus præuidit, non fiat, ea, quæ fiunt, necessaria jam certo modo erunt, id est, hypothetice talia, hoc est, quemadmodum celeb. *Wolffius* loquitur, *in so weit nothwendig.* Hæc ipsa autem hypothetica necessitas est, quam ductu scripturæ theologi defendunt; defendit autem eandem & celeb. *Wolffius*, atque eatenus cum illis consentit. Non nego quidem, amplius quid a celeb. *Wolffio* adhuc adjici, ipsam scilicet rerum materialium concatenationem & nexum, vi cujus sequentia ex antecedentibus fluere statuit: sed, quoniam hunc ipsum nexum causis liberis earumque determinationibus accommodatum esse dicit, nihil hæc peculiaris sententia hic, qua caput rei, discriminis parit. Quid ergo ad hæc verba reu. Dn. *Langius*? *Si impossibile est*, inquit pag. 33. num. 2., *ut, qua eueniunt; non eueniant, habemus sane ipsum fatum Stoicum.* Scilicet celeb. *Wolffius* loquitur de impossibilitate relativa, habito scilicet ad hunc mundum, cujus tamen contingentiam, ratione primæ constitutionis, admittit, ejusque nexum; reu. autem vir de impossibilitate absoluta, contra viri celeb. satis hoc & antecedentibus §§. declaratam mentem, eadem accipit, quo *majus* committi *vitium* non potuisset. Quod si autem de impossibilitate respectiva etiam se loqui, vir reu. hic excipere vellet, facile esset ejusdem dictum etiam ad locum scripturæ applicare, ipsamque adeo scripturam fati Stoici postulare, a quo ipse tamen, quod spero, abhorrebit. §. XIII,

## §. XIII.

Ejusdem momenti est, quando vir reu. p. 40. scribit: *obiter hic adhuc moneo, ut hujus fati etiam in Deo concidere prævisionem euentuum hypotheticam (rectius hypotheticorum, non enim datur præscientia Dei hypothetica, quanquam rerum hypotheticarum præscientiam dati concedam) qua is prævidet, hoc aut illud futurum, si hoc aut istud a causa agente libera fieret, uti inter alia docet exemplum Davidis, Dominum super Kegilitis interrogantis 1. Sam. XXIII. Nam secundum hoc systema, nihil fieri potuit, quam quod actu factum est.* Quis enim non videt, Dn. *Wolffii* mentem manifesto hic inuerti aut premi saltem? Is enim, quando fieri aliud potuisse negat, quam quod actu factum est, non simpliciter id, sed de hoc solum mundo prædicat; in alio autem mundo, hoc est, si alius supponatur rerum nexus, alia etiam, quam quæ actu fiunt & facta sunt, fieri potuisse, expresse affirmat. Vir autem reu. ita hæc recenser, quasi tanta statueretur rerum omnium à vito celeb. necessitas, quæ absoluta esset, ipsamque etiam scientiam Dei, quam *mediam* appellant, tolleret, cum tamen phraseologia *Wolffiana* hæc ipsa scientia Dei media alium mundum possibilem ejusque possibilem & hypotheticos euentus pro objecto habeat, quemadmodum scientia visionis hunc præsentem, omniaque certo futura. Quisquis ergo præter hunc mundum præsentem alios adhuc possibilem statuit, is nec absolutam necessitatem hujus mundi defendit, nec præscientiam Dei mediam tollit, sed potius eandem confirmat, & ponit. Non video ergo, qua conscientia scribere isthæc vir reu. potuerit, cum contrarium ipsi ex scriptis *Wolffianis* constet. Sed eodem modo comparata sunt, quando passim, imprimis p. 45. & 54. ad §. 10. & 11. num. 3. it. p. 55. n. 4. celebr. *Wolffii* de mundo ejusque euentibus sententiam cum *Spinoza* sententia eandem esse statuit, cum tamen ipse p. 45. de *Spinoza* fateatur, quod euentuum necessitatem ex ipsa Dei natura deriuet, de celeb. *Wolffio* autem pag. 41. n. 2. concedat, a clarissimo auctore omnem contingentia notionem unice referri ad solam hujus mundi existentiam seu constitutionem, scilicet, quod ea non fuerit necessaria, sed potuerit aliter esse. Si autem unice ad constitutionem refertur contingentia, refertur tamen. Quicumque autem ita differunt, ut alter euentuum in mundo necessitatem ex ipsa Dei natura deriuet, alter autem eisdem ratione constitutionis contingentes dicat, ita ut

(e)

non

non necessarii fuerint, sed aliter esse potuerint, illi toto caelo differunt: atqui *Spinoza* & celeb. *VVolfius* ita, ex ipsius viri reuerendi confessione differunt, ut ille euentuum mundanorum necessitatem ex ipsa Dei natura deducat, hic autem contingentes eosdem ratione constitutionis statuatur &c. Ergo &c. Aut ergo vir reu. sibi ipsi contradicit, quando p. 55. num. 4. *Spinozam non in re, sed phraseologia a Dn. VVolfio differre* scripsit, aut contra conscientiam propriam haec scripsit, quorum utrum sibi eligere malit, ipse videat: tertium enim hic non datur.

## §. XIV.

Sed argumenta nonnulla ipse quoque vir reuer. in disquisit. modest. format, quibus *Spinosismum* Dn. *VVolfio* impactum se probaturum confidit, in quibus cum maximum causae suae praesidium collocet, operae pretium erit, demonstrare, quomodo & in his sensum verborum indigno modo invertat. Primum p. 62. hoc est. *Quicumque cum Spinoza in numero possibilium nihil ponit, nisi quod vel actu est, vel aliquando fuit, vel olim futurum est, ille cum Spinoza necessitati absoluta atque fato ita patrocinetur, ut hoc cum ista asserat.* Atqui clar. autor metaphysicae Leibnitiana cum *Spinoza* &c. Ergo. Majorem firmam esse putat; minorem verbis *VVolfianis* ex eius commentatione luculenta §. 7. probare studet: invictum ergo argumentum suum esse persuasus est. Sed confundit vir reu. *possibilia absolute talia, cum possibilibus relative acceptis, seu possibilibus hujus mundi.* De illis si major intelligatur, vera est, sed fallit minor: falsum enim est, Dn. *VVolfium* ad absolute possibilia nihil aliud, quam id, quod vel actu est, vel aliquando fuit, vel actu futurum est, referre, siquidem plures mundos posibles, qui tamen nunquam futuri sunt, statuit. Quod si autem de respective possibilibus major accipiatur, de illis scilicet, quae in hoc mundo possibilia sunt, fallit eadem. Falsum enim est, quod is, qui negat, possibile aliud quid in hoc mundo esse, quam quod actu in eodem contingit, absolute cum *Spinoza* necessitati patrocinetur. Defendit is solum principium illud primum, quod impossibile sit, idem simul esse & non esse, uti jam antea notatum. Alterum argumentum p. 64. occurrit, atque ita formatum est: *Quaecumque possibilium notio ita comparata est, ut per eam possibilitas cum actu iisdem limitibus coer-*  
ceatur,

ceatur, ea, philosophis, etiam scholasticis, dudum agnoscentibus, cum necessitate absoluta adeo firmiter connexa est, ut uno admissio alterum negari nequeat. Atqui ea possibilium notio, quam clar. autor habet, ita comparata est &c. Ergo &c. Desumit hoc argumentum vir reu. ex commentat. lucul. Dn. Wolffii §. 7. p. 63. ubi verba viri celeb. ita fluunt; tenendum est, dudum agnovisse philosophos, etiam Scholasticos, notionem possibilium, quam nos amplectimur, necessitati absoluta contrariam esse; oppositam vero, qua possibilitas cum actu iisdem limitibus coercetur, cum necessitate absoluta adeo firmiter connexam esse, ut uno admissio alterum negari nequeat. En differentiam nostrae possibilium notionis a notione, quam format Spinoza, quam formarunt ante ipsum, quotquot necessitati absoluta patrocinati fuerunt. En ex his floribus suum trahit vir reu. venenum. Arma enim, quibus celeb. Wolffius Spinosismum non infeliciter impugnat, suamque inter & ejus sententiam discrimen luculenter ostendit, hic in oppugnandi argumentum conuertit, & ad Spinosismum, quem his ipsis Dn. Wolffius a se amolitur, eidem impingendum mira audacia, ne quid gravius dicam, adhibet. Hinc enim majorem propositionem sui argumenti desumit reu. vir, putatq; arietem hunc locum esse, qui Leibnitiani systematis murum pulset. Sed stramineus, quod pace reu. viri dixerim, aries est, cui pulsare quidem, sed sine noxa, licet systematis Leibnitiani murum. Sophisma enim hic a viro reu. committitur, dum verba Dn. Wolffii, quae hic de possibilibus simpliciter talibus intelligit, ad possibilium respective talia transfert, atq; sic ex verbis ipsius celeb. viri ad sensum alienum inflexis, contra eundem argumentatur. Major enim propositio adducti argumenti, quando eo termini sensu accipiuntur, quo eosdem celeb. vir in adducta commentatione luculenta accipit, hoc est, de possibilitate simpliciter tali, vera est & extra controuersiam posita; sed sic nunquam reu. vir minoris probabit veritatem, siquidem a celeb. Wolffio defensum nunquam fuit, actu contingentia & simpliciter possibilium unum idemque esse, quin potius, quemadmodum meridiano sole clarius est, contrarium in ipsis ex commentatione luculenta adductis verbis aduersus Spinosam astruit. Quando autem actu contingentia & respective possibilium, hoc est possibilium hujus mundi, pro synonymis habet, id defendit, quod ex primo contradictionis principio im-

mediate fluit. Non video, quid hic reu. vir allaturus sit, ut *apertam a se amoliatur suspicionem*, quod contra conscientiam hic scripserit, atq; studio hic viri celeb. verbis alienum sensum affinixerit. Quamquam enim adjicit, sophisma esse, quando Dn. *Wolffius* in possibilium suorum explicatione ad alium semper mundum recurrit; adeo tamen obrusi ingenii virum reuer. esse, ut hæc serio scripserit, sententiamq; *Wolffianam* vere assequi nequiverit, nunquam mihi persuaderi patiar. Ejusdem plane momenti tertium est argumentum, quod breuitatis causa omitto. Tædet enim adducere. Eodem enim cum ceteris tendit, hoc est, ut adversus celeb. *Wolffium* evincat, posse in hoc mundo, sensu *Wolffiano* accepto, alia, quam quæ eueniunt, contingere, ut tamen idem, qui nunc est, maneat mundus. Quod quam contradictorium sit, jam supra fuit ostensum. Videt ergo vir reu., quam *felix in immutando controuersia statu & alieno verbis affingendo sensu sit*, atq; vel his exemplis convictus, agnoscat, *peissime se in controuersia Wolffiana fuisse versatum*, nihilque adeo a me priori in differt. positum esse, quod injuriam sapiat, quod turbido affectuum fonte editum fuerit, sed veritatis amorem, quæcunqve ibidem occurrunt, expressisse.

## §. XV.

Sed eo contradicendi & damnandi æstus virum reu. deduxit, ut jam quoque thesin neget, & scripturæ probatam, & a theologis omnibus assertam, quin, quantum constat, a nemine unquam præter *Socinianos*, præscientiæ diuinæ hostes, in dubium vocatam, ut ne modo quid a Dn. *Wolffio* positum sine censura dimittat. Qualis isthæc sit, quilibet facile intelliget, dummodo viri reuer. hic inferamus verba, quæ *disquisit. modest. p. 225. n. 14.* occurrunt. Adducit ibidem reuer. vir locum Dn. *Wolffii* ex *eius commentat. lucul. s. 22. p. 76.* vbi hic ita differit: *Num putas Deum tantum præsens quasi intueri hoc uniuersum, quod actu existit, ad cetera, quæ possibilis sunt, sese non extendere ejus scientiam?* atqve ad hæc verba theologus Halensis ita commentatur? *puto: & ita quidem, ut negem possibilitatem plurimorum, imo innumerorum, ut metaphysica, intelligit metaphysicam Wolffianam, loquitur, uniuersorum existentiam simultaneam, aut successivam, demonstratam esse, & si demonstrata sit, a possibilitate ad actum existentia valere consequenti-*  
am,



am, & Deum ea uniuersa, qua in æternum non-entia manebunt, secundum totam suam mechanicam structuram, omnesq; rerum omnium ad illa pertinentium, nexum speculando & instar metaphysici *μελεωπιζομεν* trutinando, sibi representasse. Nolo autem hic urgere, eo quod ad me non pertinet, quod responsionis hujus pars plane non quadret, cum Dn. *V. Wolffius* de possibilitate diuinæ mundorum non existentium præscientia, vir reuer. autem de possibilitate existentia; is de eo, quid Deus possit in præsciendo, hic quid possit in creando, respondeat; ille, num Deus mundos possibiles præuidere; hic num a potentia existendi ad actum concludi possit: nec urgeo hic, quod vir reu. possibilitatem existentia plurium mundorum negare videatur. Quoniam enim partim ipse dubitanter ea de re loquitur, partim quoque sic onus probandi, quod plures mundi contradictionem innoluant, quod nunquam tamen probabitur, in se deuolueret, hæc prætermitto: id tamen, quod ultimo loco hac in responsione fuit positum, præterire non possum. Negat enim vir reu. Deum mundos possibiles, quæ in æternum mera non-entia manebunt, secundum totam suam structuram mechanicam sibi representasse. Atque hoc ipsum nihil est aliud, quam negare præscientiam Dei sic dictam *simplicis intelligentia*, utpote quæ circa sola quidem, sed & omnia possibilia versatur, & quæ scientia visionis atque media contradistinguitur, quarum illa omnia actu contingentia, hæc sub conditione futura pro objecto habet. Sic enim diuina præscientia in se unica & simplex, doctrina causa ratione objecti distinguitur, ut ejus natura, contemplando per partes, eo melius capiatur. Quisquis ergo Deum mundos possibiles, eosque qua totam suam structuram mechanicam, nam & hæc inter possibilia numeratur, intueri aut sibi representare negat, is negat Deum omnia possibilia cognoscere, per consequens præscientiam Dei simplicis intelligentia tollit. Videat ergo vir reu. quo eum *contradicendi feruor* abriperit, & num sua sit dignum persona, hanc Deo scientiam denegare: videat etiam theologorum in academia Halensi ordo, cujus approbatione modesta disquisitio prodiit, num ipsi cedat honori, quod ejusmodi sententiam, assensu & approbatione sua munitam, studiosæ iuuentuti propinari permiserint, & annon hoc fit, quod prouerbio dici solet, vitare scyllam velle, & incidere in charyb-  
dim.

(e) 3

§. XVI.

## §. XVI.

Ceterum cum vir reu. alicubi in observationibus elencticis conqveratur, (quod enim quis per alium facit, per se fecisse putandus est,) quod argumenta logica nullum apud me habeant locum mirari satis non potui, cur vir reu.; ipse nec argumentis logicis a me adductis relinquat locum, nec verbulum quidem ad ea reponat, quando ipsum male celeb. *VVolffio* ex sensuum asserta necessitate fatum absolutamque necessitatem tribuere, §. XXVII. *dissert. prior.* ad oculum monstraui. Cum enim ab hoc ipso §. defensionis celeb. *VVolffii* aduersus reuer. Dn. *Langium* fecerim initium, vir reu. etiam has observationes elencticas defensionis suæ causa conscribi curauerit, hoc ipsum autem argumentum unum ex præcipuis sit, ad quod optassem, ut autor observationum respondisset, demonstrans nexum propositionum: *si sensus sunt necessarii, ergo præter lusorium libertatis nomen de libertate ipsa ne tantillum quidem remanet, ergo datur fatum seu necessitas absoluta in anima &c.* late hæc virum reuer. non potuerant, imprimis, cum levioris momenti res sollicitè conqvisitæ fuerint, quo haberet autor, quod responderet. Atqui hic latissimum habuisset respondendi campum. Aut ergo noluit responderi, aut errorem commissum tacito secum pectore premit. Prius mihi vel propterea persuadere non possum, quod, cum adeo accuratus in minimis quibuscunque amoliendis fuerit, maximi momenti rem prætermittere voluisse dici potest; posterius autem si locum hic habet, optime quidem vir reu. facit quod errorem *tacite* secum agnoscit, (*publice enim ut profiteatur, ipse nolim illi autor esse*); non video autem, qui mihi objicere possit, quod nullum argumentis logicis relinquam locum, cum ipse argumentis logicis pugnaverim, vir autem reu. quod nihil ad hæc argumenta logica ab autore observationum, ipsius opera adjuto, responderi curavit, suspicionem incurrat, quod ipse potius, quam ego, argumentis logicis locum relinquat nullum. Sed nolo hæc pluribus urgere. Quæ attuli eum dicta in finem sunt, ut ostenderem, me non affectuum acerbitate abreptum, uti observator suis persuadere lectoribus conatur, sed ipsa veritate victum, pauca in dissertationibus sæpius citatis aduersus reu. virum proposuisse.

EX.

EXCERPTA EX DISSERTATIONIBVS DE  
HARMONIA PRAESTABILITA.

*Ex Proœmio. p. 1.*

EX eo statim tempore, quo me his controuersis dare nouaque hæc philosophemata inuestigare cœpi, simul cognoui, non inesse illis id periculi, quod alii iisdem, non sine aliquo animorum motu, tribuunt & jam aliquandiu tribuerunt.

p. 2. Quandoquidem soli veritati, non affectibus, non auctoritatibus, non rixis, hac in dissertatione locum relinquere constitui, nolo vel lectoris animum durioribus ejusmodi flosculis præoccupari, cœdique aduersus *hypothese[m] mœre philosophicam*, quæque, quod ostendam, nihil periculi inuoluit, inflari, vel ipsos etiam dissentientes ad iram & indignationem prouocari.

*Ex Dissert. prior. §. 27. p. 53.*

Id veritatis causa hic fateri oportet, intelligenda ex mente *Leibnitii* ipsiusque celeb. *Wolffii* de solis perceptionibus esse, immo ab ipsis illis celeberrimis viris de solis illis, non de reliquis animæ operationibus, intelligi, quando necessariam status subsequenti animæ ex antecedenti consecutionem iidem passim tradunt, ut adeo frustranea sit *Dn. Joach. Langii* in modesta sua disquis. noui system. c. 2. plac. 3. p. 81. accusatio, quasi hac ipsa sententia omnis animæ tolleretur libertas &c.

p. 55. 56. Quis, quæso, non mirabitur verba viri reuerendi ab eodemque inter argumenta fatalis necessitatis, *Stoicismi* & *Spinosismi*, quæ omnibus fere in paginis *Cel. Wolffii* obtrudit, allegari & id, quod sensationes animæ necessarias esse sensibusque libertatem nullam competere, idem adstruit? Desinet, cogitabam, cum hæc legerem, mirari posteritas, impingere *Stoicam* necessitatem ipsumque *Spinosismum* *Cel. Wolffii*, qui multis in locis aduersus illud *βδέλυγμα* strenue militat, reu. *Dn. Langium* potuisse, quando videbit, inter alia a sensuum necessitate, pro hac pallianda imputatione, esse delatum argumentum. Sed videmus hic (liceat mihi hanc confessionem edere) *prasentissimos neglectæ sanæ philosophiæ fructus.*

*fructus.* Quis enim, æterne Deus, vnquam sensus necessarios esse, ita vt quis, positus omnibus ad agendum requisitis, non possit non videre, audire, sapere, olfacere, reliquosque ejusmodi in aliis sensuum organis percipere tactus negavit, aut quis vnquam exinde argumentum, pro fato absoluto, *Stoico* ipsoque *Spinosismo* imputando desumptum vidit? Et tamen hæc nuper demum alio in loco vir reuer. repetit.

§. 56. p. 28. Præter mentem Cel. *Wolffii* verba ejus eo adhuc detorquet (*Langius*), tanquam toti sentiendi actui, qua animam & corpus spectato, absolutam ille necessitatem tribuat. Et cum ipse vir celeb. *Metaphys.* §. 229. huic ipsi sententiæ expressis verbis obuiam eat; ut modo suæ imputationi locum relinquere queat, nec ipsum virum reuerendum maligne cum cel. *Wolffio* egisse appareat, contradicere hunc in §. 229. sibi ipsi dicit. Sed ejusmodi *peissima*, *maligna* & vel ex ignoratione elenchi, vel *contra conscientiam* etiam factæ detorsiones - - ubiuis obuiæ sunt, vt non sine indignatione in omnibus fere paginisprehenderim, quam *peissime* & *contra*, quam virum bonum decet, in explicandis & confutandis *Wolffianis* scriptis vir reuer. fuerit versatus. Fateor, non obseruare hæc, nec obseruare posse, qui *Wolffiana* scripta non legit: illi enim mirifice sua vir reuer. approbat, atque celeb. aduersus *Wolffium* legentis animo internecium odium felicissime ingenerat. Quisquis autem *Wolffiana* prius legit, verumque viti celeb. sensum ubiuis assecutus est, is suam, in infinitis fere detorsionibus, cum animi moderatione legendis, *patientiam* hic exercere potest. Adeo in argumento, quo fatalis viro celeb. obtruditur necessitas, quodque omnem fere paginam facit, nulla fere occurrit linea, quin vel mentem viri celeb. *peissime*, ex verbis ejus *passim* excerptis, explicet, vel a statu controuersæ deflectat, vel injustissimis etiam detorsionibus, non sine *stomacho* legendis, locum faciat. Idem autem in multis adhuc aliis argumentis obseruare licet. Sic enim v. c. de simplicibus jam supra vidimus, quod in eorum numerum elementa mundi quidem a celeb. *Wolffio* referantur, ita tamen, vt illis vim mundi repræsentativam nondum tribuat; ideoque & se illa pro *infinita* substantiarum repræsentativarum specie habere, expressis verbis §. 900. jam supra adducto negat. *Langium* autem, hoc non obstante,

stante,

stante, scribit in der Entdeckung Sect. 1. c. 3. thes. 1. p. 69. Das systema Wolffianum macht vier Gattungen der einfachen Dinge, nemlich die Elemente der sichtbaren Welt, die Seelen der Thiere, die Seelen der Menschen und Gott selbst, & de his simplicibus ita descriptis p. 71. thes. 2. pergit: der Herr Autor eignet den vier Arten der einfachen Dinge als Geistern unter einerley Haupt-Definition, einerley bloß geistliche Natur und Wesen zu, so in der die Welt vorzustellenden, oder von körperlichen Dingen nur ideisirenden Kraft, bestehen sol. Hic ad ea solum respicio verba, quibus vir reuer. Cel. Wolffium elementis vim repræsentatiuam tribuere asserit: quod quo rubore per superius dicta dicere queat, quivis videt. Ejusmodi quid autem etiam est, quando Dn. Wolffium elementa mundi in spiritus transformare scribit. -- -- Ut dicta probaret, prouocat ad §. 898. ibique celeb. Wolffium hæc scribere dicit: Es ist nichts daran gelegen, wenn wir auch den Seelen der Thiere und überhaupt allen einfachen Dingen den Nahmen eines Geistes beylegen. Sed quam subdole hic vir reuer. agat, cuius patebit, quando integrum celeb. viri hic leget locum ---- Sub finem §. expressis verbis vir celeb. adhuc adserit, daß das Wesen eines Geistes von dem Wesen anderer einfachen Dinge unterschieden sey. Malui autem ex multis aliis detorsionibus hanc imprimis adducere, quod hoc argumentum ad nostrum aliqua ex parte spectat. Sed redeo ad imputatam propter sensationes fatalem necessitatem. Præter locum enim jam cit. ad §. 767. Metaph. vbi contiua perceptionum successio asseritur, l. c. thes. 6. p. 141. scribit: Da unser Herr Autor der Seelen in ihren Empfindungen eine solche Ordnung zuschreibet, so macht er sie zum automato und spricht ihr alle Freyheit ab. Inaudita hæc sunt consequentiæ! Miror ergo, celeb. Dn. Buddenm huic etiam imputationi locum reliquisse.

p. 59. Hæc hæctenus speciminis loco modo afferre volui, ut quibus inter alia argumentis a reuer. Dn. Langio Spinosismus celeb. Wolffio impactus fatalisque necessitas tributa fuerit, ostenderem. Non aliter autem omnia Langiana argumenta, quibus eandem necessitatem viro celeb. tribuere satagit, comparata omniaque Dn. Wolffii loca hoc in capite in alienum ab eodem sensum rapi, peculiari

(f)

liari

liari propediem tractatu (\*), utpote quem ad vmbilicum fere jam deduxi, ostendam.

§. 32. p. 64. Id adhuc erit monendum, non introduci hæc sententia (nempe de corpore animæ per naturam suam harmonico) fatalem necessitatem, nec animæ hoc ipso, quod corporis actiones necessariae esse dicuntur, suam denegari libertatem. Deduxi hæc equidem jam alio in loco, in dicto scilicet Tractatu, cui titulus: *de harmonia rerum omnium in mundo præstabilita* erit, qui lucem propediem publicam adspiciet, utpote in quo fuse demonstrabo, præter meritum celeb. *Wolffio* fatum Stoicum, necessitatem fatalem, *Spinosissimum* ipsum & nescio tandem quid non? obrudi, omnesque has imputationes ex neglecto vero verborum ejus sensu esse exortas: causa mihi tamen est, cur & hoc loco paucis ea tradenda censeam. Loca autem *Wolffiana*, ex quibus hæc imputationes eliciuntur, illa potissimum sunt, in quibus corporis motus necessarij esse dicuntur. -- Duriora, hæc fateor, videntur, sed illis solum, qui vel verba *extra contextum* totius systematis *carptim atque frustulatim* legunt, vel non omnia, quibus duriora illa asperguntur, juxta auctoris mentem & prout systematis nexus postulat, intelligunt. Unde videas, apud Dn. *Langium* passim ex his verbis fatalem, quam sibi in celeb. *Wolffii* scriptis inuenisse vir Reu. videtur, necessitatem denuo inculcari viroque celeb. imputari. Sed salua, dummodo omnia rite perpendantur, res est. Tolleretur, fateor, omnis animæ libertas, si vir celeb. assereret, animam a motibus aliorum corporum determinari, quibus resistere nequeat, nec superesse animæ facultatem, ut, quando ab aliis suum, quod inhabitat, immediate cingentibus corporibus impellatur, impetum eorum eludere motusque euitate queat: sed necessario eosdem omnes producere; uti & motus liberos, quibus scilicet animæ expleantur decreta, in ipsa anima necessarios esse, quemadmodum illa omnia locis allegatis de corpore asserit; sed cum de corpore hæc solum, non anima affirmat, extra periculum omne posita est animæ libertas. Quemadmodum enim animæ libertas nihil exinde detrimenti capit, quod Deus omnia ejus desideria, cogitationes, volitiones, decreta aliaque

(\*) Vid. observationes electricæ §. 1, 2. P. 4. & seqq.

que omnia prævidit; sic & eadem nihil exinde incommodi patitur, si Deus, juxta hanc prævisionem machinam corpusque mechanicum condidit, cujus motus atque modificationes omnes ita determinavit, ut, quamquam in se necessariae sint atque ex structura partium mechanica inevitabiliter sequantur, ita ut machina resistere illis nulla ex parte possit, liberrimis tamen eadem semper animæ decretis desideriisque respondeant? Quid enim illud ad animam, quod motus illi necessario fiunt? Sufficit, quod intuitu animæ liberae sunt & manent, quod ejusdem liberrimis satis decretis faciunt iisdemque respondent. Non potest res omnis melius illustrari quam simili illo, quo celeb. *Isaacus Faquelotus* in *Actis Erudit. Lips. A. 1705. p. 554.* utitur. -- Amplectuntur hoc *Faqueloti* simile *Leibnizius* in *Tent. Theod. §. 63. p. m. 248.* & celeb. *Wolffius* in *Comment. lucul. §. 21. p. 66. seqq.*

§. 33. p. 66. seqq. Id modo offensioni adhuc esse poterat, quod celeb. *Wolffius* cit. §. 884. expressis verbis scribit: *und auf solche Weise sind auch die Bewegungen, die man vor freywillige halt, dadurch nemlich das Verlangen der Seelen erfüllet wird, in dem Leibe nothwendig.* Sed his verbis qui offenditur, non perpendit additum; *in dem Leibe.* Non enim simpliciter vir Celeb. motus animæ necessarios esse asserit; manifesta enim alias esset, ipsis in terminis, contradictio, siquidem ii motus necessarii, & tamen simul liberi, dicerentur; sed illos motus, qui intuitu animæ liberi dicuntur, quod liberrimis animæ decretis exactissime, quæ tempus, modum aliasque circumstantias omnes, respondent, in corpore, & seorsum aut in se consideratos, necessarios modo esse affirmat, quod ex necessitate naturæ ipsius consequantur, atque in mechanismo ejusdem sint fundati. Quemadmodum autem in *Faqueloti* exemplo motus, qui liberrima heri mandata explent, in ipsa machina sunt necessarii, ita, ut facta tamen, salva rectaque ipsa imperantis maneat libertas; sic & illi motus corporis, qui intuitu animæ ejusque decretorum liberrimi sunt, in corpore ipso sunt necessarii, illæsa animæ libertate. Deus enim, cujus præscientia & ex communi omnium consensu & ex rei ipsius veritate, nullam rebus infert necessitatem, prævidit, quicquid cogitatura, quid desideratura hoc, illo, alio tempore anima esset. Paravit ergo sua pro sapientia ma-

chinam ejusque motus ita determinauit, vt perpetuo cum desiderijs & decretis animæ conuenirent. Quamquam autem hi motus, in se spectati necessarii sunt, libertas tamen animæ eo ipso non læditur: sufficit enim, quod Deus actus motusque hos machinæ necessarios ad perpetuam cum volitionibus animæ alligavit harmoniam, immo, in determinandis machinæ hujus motibus, animæ semper libertatem ante oculos quasi habuit, eidemque hos ipsos motus accommodauit. Qui ergo, quæso, animæ tollitur libertas, quod motus corporis eidem a Deo artifice accommodati, atque post hanc factam accommodationem demum necessarii in corpore facti sunt? Cum enim hi ipsi motus in animæ fundentur, saltem intuitu Dei præstabilientis, libertate, eandemque, intuitu ejusdem determinantis Dei, tanquam vnicum suum fundamentum supponant, non possunt id, quod supponunt, & eo quo ipsi, in diuina saltem præstabilitione, consequuntur, euertere. Nullo ergo modo implicat, necessarios esse motus intuitu corporis, intuitu tamen animæ liberos, immo liberrimos eosdem manere. Explicat id ipsum etiam, modumque, quo cum motibus corporis necessariis animæ libertas consistere queat, in Metaphysica sua celeb. *Wolffius* tradit §. 884. & 885., sed breuius saltem, forsitan quod vir celeb. non putauit, fore, qui controuersiam ea de re ipsi mouerent, nedum qui Spinozismum necessitatemque Stoicam atque fatalem eidem propterea obtruderent, hisque doctrinis omnis moralitatis atque religionis non reuelatæ solum, sed ipsius etiam naturalis, fundamenta omnia euertere, conquererentur. Unde & pauciora modo sunt, quæ explanationis gratia attulit in Comment. lucul. §. 21. p. 67. seq. & §. 22. p. 71. Postquam autem vir celeb. vidit, ad primarium hæc accusationis argumentum rapi, pluribus mentem suam, ipsamque simul rem, explicauit, demonstrando simul, nec doctrinæ morali noxium hoc dogma, nec reuelatæ aut naturali religioni inimicum esse, in *denen Anmerckungen über die vernünfft. Gedancken* &c. p. 231. seq. & p. 236. seq. prolixissime autem omnium p. 415. ad §. 761. vbi simul euincit, systema harmoniæ præstabilitæ hypothesein mere philosophicam esse, cui sententiæ, quemadmodum & supra jam monui, & ego accedo. Frustraneus ergo est omnis reuer. Dn. *Langii* labor, quando ex hac dogmate in *modesta sua disquisit.* ipsoque recentissimo scri-

mo scri-



mo scripto die *Entdeckung*, nescio quas periculosas consequentias deduxit. Judicabit facile id æquus rerum censor ex illis, quæ modo dicta sunt: ad objectiones tamen reuer. viri, quemadmodum jam promisi, alio loco, quid sentiam, exponam, quidque roboris illis insit, ostendam. Denuo ergo miror, celeb. Dn. D. *Buddenm* iterum hic cum reuer. *Langio* consentire, siquidem *im Bedencken* p. m. 13. seq. putat, his Dn. *Wolffii* dogmatibus omne imputationum fundamentum tolli: quod quomodo ex illis sequatur, cum juxta liberrima animæ decreta corporis motus determinati esse dicantur; nondum video. *Multa ergo hic ab aduersariis Dn. Wolffii affirmantur, quæ probata non sunt, nec probari poterunt.*

*Ex Dissertat. posteriori.*

§. 1. p. 69. Nolumus eam hic adhibere in conuellendo hoc systemate methodum, quæ usus aduersus idem est maxime reuer. Dn. D. *Jochimus Langius* in modesta disquisitione noui System. de Deo, mundo & homine p. 2., vbi *postulatorum* consignaturus *theoriam*, quam in ipsa deinceps tractatione confutationi suæ fundamenti loco substerneret, numero secundo aliquid, vt sibi a celeb. *Wolffio* concedatur, postulat, in quo tamen controuersie statum versati ipse vir reuer. non ignorat. Non facile crediderit, quisquis hæc leget, fore, vt talia a viro reuer. fuerint commissa, imprimis si obseruauerit, eundem virum reuer. in *vindiciis* hujus *modeste disquit.* p. 30. asserere: *Disquisitionis* suæ *protheoriam* (est autem hæc ipsa *protheoria* *postulatorum*) *methodo demonstratiua* *consignatam* esse, nisi ipsius viri reuer. legerit verba. Ita ergo habet l. c. *postul. 2. p. 2.* *Inter duas essentielles hominis partes, animam & corpus, tanquam duas substantias physice distinctas, est unio physica --- uti communione, sic etiam operatione physica, se exferens.* Miratus isthæc sum, cum prima eadem vice legerem atque, quod ejusmodi quid a viro reuer. non expectaueram, quo loco hæc haberem ignorabam.

p. 70. Ille (sc. *Langius*) id, quo de ipsi cum aduersario suo controversia intercedit, quodque posterior hic, ipso fatente viro reuerendo, negat, inter postulata refert, atque ex iis postulatis deinceps

ceps tota sua in disquisitione conclusiones suas, quibus & falsitatem, & periculum, nouæ aduersarii sui sententiæ demonstraturus est, necit. Quis autem insolitum hoc non miratur disputandi genus, quo id, quod probandum erat, & rationibus solidis aduersus dissentientem, primum euincendum, in eorum classem conjicitur, quæ, ut concedatur a dissentiente, postulatur, & ex quibus deinceps aduersus illum ipsum disputatur, imo, si Diis placet, argumentum tandem etiam desumitur, pro impingendo dissentienti facto *Stoico ipsoque Spinofismo?* Et tamen vir reuer. præter superius jam allegatam de methodo demonstratiua, qua consignata sua hæc protheoria postulatorum sit, assertionem hac ipsa *in disquisit. p. 5. in scholio gener.* scribit: *postulatorum horum tam luculenta est veritas ac euidentiâ, ut mihi non possint non dari a philosopho, imo a quolibet homine, ratione sua recte utente.* -- Videt ergo vir reuer. quam incongruus hic sit postulandi, eademque postulata scholiis illustrandi modus, & quam risum hæc vel leuiter solum hypothesium istarum cognitione tincto moueant.

§. 2. p. 71. 72. Vir reuer. ejusmodi argumentis thesin suam probat, quæ vel iterum petitionem principii committunt, vel saltem rei probandæ non satis ab omni parte faciunt. Prioris generis est, quando, pro animæ in corpus probando influxu, *primum argumentum* desumit ab *vnione animæ & corporis physica*, ex ea necessarium vnius partis in alterum influxum adstruere conatur. Quando enim apud illum fundamentum quæris hujus vnionis physicæ, nullum aliud suppeditat vir reuerendus, quam postulatam suam, modo præced. §. adductam secundum, quasi ex eodem, repugnante & inuito dissentiente assumpto, probari jam noua quædam thesis aduersus eundem posset. Nec enim aliud argumentum, pro probanda physica inter animam & corpus vnione, præter adductam postulatam, vllibi affert, quam quando in eodem hoc primo argumento, postquam ipse confessus fuerat, dissentientes vnionem physicam animæ & corporis plane negare, metaphysica in ejus locum substituta, pergit: *hoc autem εὐρημα quantum sit σιδηρόξυλον, & quam valide absurditate sua se ipsum destruat, nemo non videt.* Vix credet lector, si dixerim, non hic solum, sed & in toto spisso *modeste*

deſta diſquiſitionis volumine nullum aliud, quam hoc occurrere argumentum, quo hanc metaphyſicam vnionem vir reuer. impugnet, phyſicamque adſtruat; & tamen ex hac aſſertione argumenta ſua, quibus totum harmoniæ præſtabilitæ ſyſtema euertere conatur, deducit. Vix autem putauerim, tantam eſſe viri reuerendi *authoritatem* ſuum apud diſſidentem, vt de falſitate vnionis metaphyſicæ & veritate phyſicæ inter animam & corpus conuinci ſe eo patiatur, quod vir reuerendus illud inuentum vnionis metaphyſicæ *σινδρόζυλον* appellat, illudque ſua ſe abſurditate ipſum deſtruere aſſerit. Imo, ne putauerim quidem, ipſum ſibi perſuadere virum reuerendum, *tantam ſui eſſe autoritatem*, vt hac ſola eius aſſertione motus ille ſententiam ſuam deſerat.

§. 3. p. 72. 73. Ejuſdem ponderis ſolum eſt, quod *ſecundo loco* aſſertur pro animæ in corpus influxu euincendo, argumentum, quodque ab experientia, ſiue, vt ipſe vir reuerendus loquitur, *ex natura omnium hominum, hæc in parte equaliter ſibi conſcia, & hinc ex euidentiffima & vniuerſaliſſima experientia*, petitur. Quamquam enim vir reuer. tantam fiduciam hoc in argumento collocet, vt, ipſo iudice, *hæc experientia euidentia quamlibet veritatis geometricæ euidentiam ſuperet, certe nulli certitudine cedat*; tantum tamen abeſt, vt hæc in ſententiam viri reuer. concedam, vt potius ambabus amplectar illam celeb. Dn. *Wolſii*, qua experientia nihil aliud euinci aſſerit, quam motus corporis & actiones animæ ſimul fieri, nequaquam autem eadem confirmari concedit, quod vel motus corporis producantur ab anima, vel ſenſationes & perceptiones animæ producantur organis corporis.

p. 74. Falluntur mea ſententia, qui eouſque experientiam extendunt, nec ſatis accurate de arduo hoc atque ſubtili ſuo modo argumento cogitant; vnde eo magis miratus, acutiſſimum philoſophum & theologum, *Ruardum Andalam*, hoc nondum perſpexiſſe, ſiquidem nuper demum in *Diſſert. de vnione mentis & corporis phyſica, neutiſquam metaphyſica*, Franeqveræ 29. Martii habita & Halæ cura Dn. *Langii* recuſa, p. II. §. 9. ſeqq. omni ſtudio experientiam hanc defendere & ab objectionibus nonnullis liberare conatur, eademque p. 43. §. 63. & p. 46. 67. iterum repetit. Sed & id hæc

id hac in dissertatione miratus sum, pugnare virum celeb. iisdem cum Dn. *Langio* argumentis aduersus *VVolfii* systema, quanquam nec illum, nisi vnico in loco, nec hunc, nominet. Forsan autem hoc inde factum fuit, quod ipse vir celeb. *VVolfii* scripta non legit, adeoque omnia eo sensu, quo a Dn. *Langio* intelliguntur, accipit. Non obscure id insinuat vir celeb. p. 36. §. 45. vbi de *Leibnitii* atque Dn. *VVolfii*, quem sub *alijs viri cl.* nomine intelligit, sententia ita loquitur: *quia cl. quidam ipsorum antagonista ipsa eorum verba citauit, intelligit autem Dn. Langium, in modesta disquis. inde potero tuto eorum sententiam proponere.* Vnde etiam perpetuo videas verba Dn. *VVolfii* ex Dn. *Langio* solum adduci, huiusque responsionem semper adjici. Nihil enim de suo vir celeb. præter exclamations nonnullas addit, nec vllum novum argumentum aduersus harmoniam præstabilitam affert. Unde cum nec *VVolfii* scripta ipse legerit, nec nisi *Langiana* argumenta repetat, non est cur tantopere sibi de eius consensu reuer. Dn. *Langius* gratuletur.

§. 4. p. 75. Male vir reuer. *Langius* in disputatione aduersus celeb. suum dissentientem (*VVolfium*) vel supponit, quod erat probandum, vel argumentis vtitur, quæ non probant, quod probare debebant.

§. 25. p. 126. Non de salute Ecclesiæ aut Reip, sed hypothesis aliqua philosophica agitur.

**F I N I S.**



Coll. diss. A. 54, misc. 22